DISQUISITIONES HISTORICAE

DE PLERISQUE

APUD BELGAS SEPTENTRIONALES

ENDEMIIS MORBIS.

SCRIPSIT

MENNO DOLLEMAN, M. D.

AMSTELODAMI,
Apud FRATRES DIEDERICHS.
1824.

PROOEMIUM.

Jam dudum, B. L., ut quivis solet, de pristina patriae conditione cum hodierna comparata cogitaveram, cumprimis vero de illa illius argumenti parte, quae sanitate et morbis continetur; quumque omnia super illo argumento litigia vana mihi viderentur, nisi prius, quam certissime posset, de ipsa illa pristina conditione constaret, id imprimis mihi constitueram, ut in majorum sanitatem et morbos inquirerem.

Praeoccupato animo, ut in ejusmodi rebus saepe, ni semper, fit, me illam inquisitionem fuisse aggressum, si forte quis dixerit, rem acu ille tetigerit: ne enim, de majorum veneratione, quâ ab infantia imbui solet animus, dicam, de morborum indole non tantum mutata, verum et pejore reddita, deque pessundata populi sanitate adeo diserte locutos videbam e recentioribus auctoribus, seculi etiam praecedentis, celeberrimos fere quosque, ut de insigni, qua majores gavisi fuisse dicebantur, sanitatis gradu, deque huic convenientibus morbis, vix dubitarem.

Nec vagae illis auctoribus sententiae: de Haen e. g. (ut nonnullos saltem memorem) e Foresto aliisque patriis medicis patere dixerat, (1) morbos, quibuscum olim conflictabantur Hollandi, vel acutos fuisse, vel fibrae minis rigidae debitos, illosque immunes fere fuisse ab infinitis illis a sanguinis debilitata crasi et nimia solidorum flacciditate oriundis morbis, qui hodiernis accidunt: — in dissertatione, quae praemium reportavit, praedicaverat Michell, (2) opus plane non esse, ut de majore recentioribus temporibus morborum catarrhalium frequentia diceret,

quip-

(1) *Prael. in* BOERH. *Inst. pathol.* T. II. *p. m.* 32.

(2) *Verh. over de* febres catarrhales *enz. bl.* 11.

quippe quae extra dubitationis aleam esset posita, unum illud sibi agendum, ut illius rei causam indagaret: — neuroses olim vix fuisse cognitas, suo autem tempore latissime vagari statuerant inter alios idem ille et Bicker, eorumque sententias comprobaverat publicum suffragium: (3) — imminutas fuisse veras inflammationes dixerat van Geuns: (4) quorum omnium auctoritate satis nitebar, etsi ex antiquioribus monimentis petita argumenta desiderarem.

Certa quadam tamen occasione data antiquiores medicos legere incepi, et quae ad illud usque tempus adeo invidenda mihi visa fuerant, longe alia tunc forma sese mihi stitere majorum sanitas et morborum genius, cujus rei summam in hoc opusculo medicorum judicio submitto.

De illius autem et argumento et ratione nonnulla insuper mihi monenda sunt.

Quamvis in illo conscribendo ante oculos mihi semper versata sit hodiernorum et pristinorum Batavorum sanitatis comparatio, per hunc tamen campum longe lateque discurrere et extra disquisitionum nosologicarum terminos (sat extensos profecto) egredi, animus mihi non fuit, illa tantum de habitu corporis, diaeta caet. addituro, sine quibus plane mancae futurae fuissent illae disquisitiones: generalis tamen illa argumenti ratio mihi fuit attingenda, ut eo melius perciperetur illius partium delectus causa.

Quae e. g. de febribus exanthematicis, imprimis scarlatina, apud antiquiores nostros auctores annotata reperiuntur, quamvis pauca illa sint, non tamen omni momento carent, et medici historiae amantis attentione non plane indigna sunt: ex illorum tamen cum hodiernorum relationibus collatione ne tantillum quidem ad quaestionem, utrum morborum genius mutatus sit, faciens, eruere equidem potui: cum aliis igitur foris allatis morbis epidemicis, missos feci illos; non quod de omnibus persuasum mihi non erat, illos, pro cujusvis, quo regnavere, temporis sanitatis gradu et morborum genio immutari et potuisse et debuisse, epidemicosque igitur morbos endemiorum illustrare posse indolem, verum quod in illa re de epidemia, quae a solita, nobis cognita, formâ deflexerat, ad unguem determinandum erat, utrum universalis tunc vigentis morborum genii, an ipsius epidemiae propriae indolis gratiâ illud factum fuisset, quam quidem rem explanet, qui potest. Calculus urinae porro: qua ratione cohaereret ille cum universa corporis constitutione, vel regnante morborum genio? equidem ignorabam, illumque igitur mittebam. Et sic cum aliis. Ejusmodi enim tantum morborum historiam proponere animus erat, quorum satis manifesta est inter se et cum universa organismi conditione affinitas.

Bel-

(3) *Verh. van het Utr. Genoots.* D. III. *st.* 1 *en* 2. (4) *Staatk. handh. bl.* 330.

PROOEMIUM.

Belgarum septentrionalium, de quorum morbis in hoc opusculo agi, inscriptio fert, nomine Foederatarum quondam Provinciarum incolas potissimum comprehendi; de illis autem, nec vero de Belgis in universum, duas praecipue ob causas egi: primo ob communem illis soli aërisque naturam; quae enim e primario hoc fonte ad Hollandos e. g. redundant incommoda, Frisiis simul, Zeelandis caet. obtingere, statuere fas est, dum contra in Limburgi e. g. vel Hannoniae provinciarum incolas non quadrent: secundo, quoniam Batavorum per duo ad tria secula foedus et communia publica commoda, ut majorem continue inter illos produxerunt mentis culturae, morum, diaetae aequabilitatem, ita magis magisque his in rebus Belgis meridionalibus illos dissimiles reddidere, unde non absque haesitatione nonnullos recentiores super Flandria (quae nempe, quod ad solum attinet, provinciis septentrionalibus satis similis est) auctores in testimonium vocavi, dum tamen de antiquioribus non dubitaverim.

Etsi, propter liberum aditum ad instructissimam bibliothecam medicam doct. viri à Roy (cui pro data hac facultate publice hic gratias ago) plurima eaque rariora, antiquiorum medicorum Belgicorum opera consulere mihi contigerit, multa tamen desideravi, quippe quae, si non in totum periere, rarissime cernere sit; de qua re quamvis ab una parte dolui, quum, ut antiquiores sint relationes, ita majorem ab hodiernis rebus differentiam illas ostendere, jure confidimus, ab altera tamen parte aequiore illam animo tuli, quum ejusmodi scripta, nisi prorsus futilia, de antiquae Graeciae et Latii potius quam de Belgii morbis videantur commentarii: accedit, quod ipso illo tempore, quo illi vixere, quos ob virtutis constantiaeque famam per excellentiam majores nuncupare amant, melioris notae scriptores prodire coepere, quamvis et in horum longe plurimos plus minus illa reprehensio cadat, quorum, ut exemplo utar, celeberrimum caeteroqui medicum, J. Heurnium nomino, in cujus immenso opere mirum quam pauca, quae illius temporis morbos illustrant, reperiantur.

Continue tamen etiam recentioris aevi scriptores allegavi, non ut opus absolutum exegisse viderer, quasi patres et avos etiam majores esse, mecum reputans, verum quoniam non integro abhinc seculo toto coelo ab hodierno diversum hominum genus vixisse, sive aetate provectiorum auctoritate sive secus, praedicantes multi reperiuntur, tum et praecipue, quoniam ad pleniorem rei intelligentiam ad recentiores auctores confugere omnino saepe necesse est.

Quod ad ordinem, quem secutus sum, attinet, non nisi hoc animadvertam, argumento perquam convenientem et lectori omnium forte gratissimum futurum fuisse synchronisticum, non me fu-

fugisse, nosologicum tamen idcirco me praetulisse, quod pluribus recentiorum de hoc vel illo singulari morbo exstantibus disputationibus, argumentorum dijudicationi prae illo aptior mihi visus est hic ordo: cujus praeterea ope multarum argumenti partium melius patefit nuditas, quam quidem non idcirco ostendere volui, ut de incerta saepe conclusione me excusarem, sed tanquam ipsam argumenti partem, cum et ad hanc quaestionem respondere mihi proposuissem: Quatenus *e fide dignis fontibus majorum sanitatis et morborum historia erui queat: parum itaque cohaerens orationis filum, quod ab illa nuditate proficiscitur, facile condonabit lector, qui, si forte in scriptorum medendi methodis dijudicandis longiorem nonnumquam me fuisse existimet, illud tamen probe animadvertat, ad opinionem de morborum indole mutata multum conferre potuisse versatilia proh dolor! medicinae systemata.*

Primo itaque examinemus, quae pyrexiarum hac in regione quondam fuerit conditio. Secundo, quae morborum ita dictorum chronicorum. Tertio nonnullas insuper animadversiones addamus, quae ad morborum genium in universum pertinent, et breviter ex omnibus dictis conclusionem eliciamus. Quarto videamus, qua ratione haec conveniant cum iis, quae de populi sanitate nos docet historia. Quinto denique ad praecedentium illustrationem de antiqua victus ratione in medium nonnulla proferamus.

NOTA. *Cum in auctoribus citandis magni per totum hoc opusculum momenti sit, temporis, quo quisque scripserit, meminisse, pag. VIII illorum indicem addidi, annotato simul, quo floruerunt, tempore, in quem tamen eos non retuli, quorum, raro allatorum, aetatem docet ipse contextus. Non inutile nec ingratum lectori illud fore, duxi.*

Qui nimia profecto quantitate irrepsere errores typographicos, benevole condonet lector: sequentia tamen sphalmata, tum et minus accurate dicta in antecessum corrigat, precor.

Pag.	2.	lin.	33.	*pro*	protractiorem	*ponatur*	provectiorem.
—	5.	—	30.	—	annum	———	annos.
—	6.	—	25.	—	fuit.	———	est.
—	15.	—	14.	—	pag 18.	———	pag. 14.
—	21.	—	penult.	—	*obs. schol.*	———	*obs. 15. schol.*
—	25.	—	9.	—	accedit.	———	accidit.
—	39.	—	2.	—	dubio.	———	dubio hodie.
—	-	—	15.	—	*hac*	———	*modo hac*
—	43.	—	25.	—	octavo	———	septimo.
—	46.	—	25.	—	vis.	———	vir.
—	61.	—	12.	—	advertit.	———	animadvertit.
—	76.	—	5. 6.	—	auctum.	———	auctores.
—	80.	—	22.	—	quorum	———	et
—	96.	—	19.	—	XXI.	———	XIX.
—	97.	—	6.	—	simo.	———	imo.
—	102.	—	14.	—	relationem.	———	relationum.
—	115.	—	27.	—	nisum.	———	risum.
—	119.	—	22.	—	profusco	———	profusio.
—	124.	—	2.	—	incolas	———	incolae

ELENCHUS DISQUISITIONUM.

INDEX CHRONOLOGICUS.

	Circa annum.
Baggaart.	1680.
Barbette.	1650.
Battus.	1580.
Beintema.	1680.
Beverovicius.	1630.
Blancardus.	1680.
Blasius.	1660.
Bontekoe.	1680.
Bontius.	1640.
Boot.	1640.
à Bra.	1570.
Broen.	1680.
Byrdemaeus.	1560.
Craanen.	1660.
van Dalen.	1680.
Damiani.	1540.
Dekkers.	1670.
Deusingius.	1640.
Diemerbroeck.	1640.
Dinghenius.	1670.
Dodonaeus.	1550.
Echtius.	1550.
Egbertus.	1600.
Eugalenus.	1570.
Eyssonius.	1660.
Fienus.	1590.
Follinus.	1620.
Fontanus.	1630.
Forestus.	1550.
Goris.	1690.
Grotius.	1600.
Gruiwardt.	1660.
Guicciardinus.	1560.
van Hadden.	1660.
Heinsius.	1690.
van Helmont.	1600.
Hemsterhuys.	1650.
Herbarii auctor.	1538.
Hervelt.	1680.
J. Heurnius.	1570.
de Heyde.	1670.
van der Heyden.	1620.
Junius.	1550.
Lamzweerde.	1660.
Lemnius.	1540.
Lessius.	1590.
Lindenius.	1640.
Lommius.	1540.
Matthaeus.	1660.
de Moor.	1680.
Muntingius.	1660.
Muys.	1670.
van der Mye.	1620.
Nonnus.	1600.
Paaw.	1600.
Petrus.	1520.
Plempius.	1630.
à Pratis.	1520.
Regius.	1640.
ten Rhyne.	1670.
Ronsseus.	1560.
Schoock.	1650.
Schumacher.	1667.
Spigelius.	1610.
Stalpart.	1650.
à Stapel.	1640.
Swalve.	1660.
Sylvius.	1650.
Thriverius.	1540.
Tulpius.	1630.
Vormius.	1660.
Wallaeus.	1630.
Wassenaer.	1620.
Wierus.	1550.
Zacutus.	1630.

DISQUISITIONES HISTORICAE

DE PLERISQUE

APUD BELGAS SEPTENTRIONALES ENDEMIIS MORBIS.

DISQUISITIO I.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

Si quis alius morbus, hae certe febres huic regioni propriae sunt: quam ob causam tum et ob ordinem nosologicum non inepte ab illis exordiri mihi videor, eo magis, quod, quam de illis cujusvis Epochae scriptores faciunt, mentio hanc argumenti partem accuratioris examinis capacem reddit, quod deinceps obscuriorem aliarum febrium historiam illustrare poterit.

Ad determinandum tamen, an pristinorum temporum febres intermittentes ab hodiernis distulerint, mentio illa non suffecerit, ubi quis in subtilitates sauvagesianas inquirere voluerit; suffecerit vero, si febres intermittentes inflammatorias, nervosas, gastricas, non diversos, sed eosdem pro varia corporis constitutione aliam aliamque formam adeptos, morbos habeamus: hoc enim modo materia illa accuratius perpensa nos jam in limine quasi de corporum constitutionibus nonnulla docebit.

Examinemus igitur praecipue methodum, qua Forestus, unus omnium, nostro in argumento tractando, longe uberrimus fons, in cujus scriptis diversarum febrium intermittentium multae exstant observationes, illas curaverit.

Methodus evacuans primario illi erat loco: in tertianis vernalibus sanguinem mittere illi regula tantum non generalis erat; aliquanto minus hanc sequebatur in antumnalibus, ut plurimum tamen ob aetatem provectiorem: in omnibus praeterea adhibebat resolventia et eccoprotica, quibus in antumnalibus amara adjungebat.

In

In quartanis non adeo regulariter venam secabat, quamvis saepius hoc fecisse quam omisisse videatur: ad caetera in omnibus ab illo allatis quartanarum casibus purgantia et incidentia remedia adhibita videmus, additis multis in casibus herbis amaris.

Quotidianas febres, quas autumnali tempore observabat, raro venae sectione aggrediebatur, ita ut in decem catibus, quos L. III affert, semel tantum hoc factum cernamus. Hic etiam remediis incidentibus amaris utebatur.

Ex his omnibus patet, Forestum magis, quam hodie plerumque fit, ad harum febrium curam methodum evacuantem, imprimis Venae Sectionem adhibuisse. Num vero hic modus egregie illi cessit? exsultationi non fuit locus. Quam difficile sit methodi medendi utilitatem determinare, ubi illa heroïca, ut dicunt, non est, et morbus, ad quem adhibetur, persaepe sponte sanatur, novimus omnes. Sanguinem hic non largiter mittebat Forestus, raro supra quinque vel sex uncias; ex immoderato victu sordibus repleta intestina obvia erant ubique, et permultis ideo in casibus eccoproticorum ope multum levaminis afferre poterat: — quid mirum igitur, illum per integras epidemias hac methodo et bono saepe cum successu usum, testibus tertianarum epidemia Hagana anni 1558, (1) ut et Alcmariana anni 1556, (2) in qua *Oxysaccharo simplici et succo granatorum et limonum cum sacharo* praestantius se nullum remedium invenisse diserte testatur: huic epidemiae et hoc peculiare fuit, quod accedente autumno, febres quartanae factae non fuere.

Hanc igitur Foresti medendi methodum non idcirco pro optima habere possumus, quod illam ut plurimum sequi solebat. Verum accuratior tantum illius methodi eventus e sigillatim descriptis casibus elicita indagatio nos illi methodo dijudicandae pares redditura est.

Libro III et V febrium tertianarum casus proponit viginti sex: inter hos sex aut septem existunt febrium vernalium, caeteri fere autumnalium. In illis medendi methodus, de qua supra dixi, ita ut in unico tantum casu V. S. omissa fuerit: (3) in omnibus autem eventus sat faustus, id quod notissima illarum febrium indoles ultro explicat. In febrium autumnalium casibus duodecim eadem illa methodo usus fuit: hic autem minus feliciter cessit illa: quippe quae haud cito febre liberaret illos, qui pingui et pituitosa corporis habitudine erant, cujusmodi plurimos enumerat; alicubi addens, tertianam biliosam praecipue locum habere in regionibus siccis et calidis et conveniente vitae regimine, quo dicto suam sibi juveni experientiam ob oculos habuisse videtur, cum in Italia et Gallia multos observavisset aegrotantes; quod si cum veterum circa tertianarum pathogeniam theoria hoc comparemus, exinde sequi videtur, Forestum non multas hac in regione observasse tertianas, quae veras veterum tertianas referebant. In reliquis octo harum autumnalium febrium casibus V. S. omissa est, ut plurimum ob aetatem protractiorem, medicamentis praesertim amaris curam absolventibus. Non ubique sanationis tempus accurate definitum: pleraeque cessabant post paroxysmum quintum vel septimum: in tribus casibus febris diuturna facta videtur.

Quod si animadvertamus, circa morbum, de quo sermo, non adeo quaeri, utrum aeger ser-

(1) *L. III. obs. 35.* (2) *ibid. obs. 7.* (3) *ibid. obs. 15.*

servatus fuerit, an secus, verum illud, utrum curatio tuta fuerit, id est, absque morbis secundariis, et celeris, cumque *tutum* illud (in autumnalibus) in universum eo magis periclitetur, quo minus sit illud *celere*, hoc imprimis nostram meretur attentionem, cujus vero ratione habita, eventus non admodum faustus censeri potest.

Febrium quartanarum Forestus L. III et V duodecim affert casus, omnes autumnalium. In decem casibus sanguinem misit: in horum sex sanatio sat cito secuta: in reliquis quatuor locum non habuit illa. In casuum, in quibus V. S. omissa fuit, binis, aegroti febribus alius typi jam debilitati fuerant: eventus non annotatus: in tertio vir septuagenarius post tres paroxysmos sennae, amaricantium et frictionum dorsi ope sanatus: in quarto femina quinquagenaria non nisi post duos menses, accedente nempe vere, sanitatem recuperavit.

Neque in his quartanarum casibus methodum medendi magnis laudibus efferri successus sinit: aegros iis in casibus, ubi vox *sanatus* occurrit (quod et de tertianarum casibus notandum) morbis secundariis plane non laborasse admodum improbabile est, cum Forestus in universum annotet, apud Batavos, praesertim inter nautas, eos, qui quartana laborant, *lienosos esse vel magna ex parte tales evadere et in icterum nigrum incidere, saepissime vero et in sceletyrben sive stomacacen*, (4) perque vocem *sanatus* Forestum aliquando nil aliud significare voluisse, nisi impeditum paroxysmi recursum ex III. 37. patet, ubi quis ab autumnali quartana *sanatus* ad illum venisse narratur *lienem durum habens et pedes inflatos, cum anhelitus difficultate.*

De febre quotidiana L. III. decem habet casus: duo admodum obscuri: reliquorum octo duobus inter febres vernales locus assignari posset, et in omnium unico tantum sanguis fuit missus. In omnibus resolventia et amara data fuere, nec tamen cura celeris fuisse videtur: quippe nullibi fere de tempore, quo aeger sanatus dici potuerit, mentio sit facta, id quod diligenter tamen facere solebat Forestus, ubi de febribus sermo erat. In quatuor casibus momentosi memorantur morbi secundarii. Quibus omnibus inter se collatis, dubitare non possumus, quin medicamentum, quod validius memoratis nervis arriperet, tunc temporis etiam maxime optandum fuisset.

Ejusmodi autem erat intermittentium curandarum methodus non tantum Foresti, verum et aliorum clarorum, quin et plerorumque illius aevi medicorum, e quibus Dodonaeum (5) et J. Heurnium (6) nominasse sufficiat; quamvis contendi certe nequeat, illos absque ulla ratione Graecorum et Romanorum medendi methodum secutos, hanc tamen imprimis illis pro norma fuisse apparet: cum porro in eo omnes fere consentiant, febres illas hodie dicto modo (nostra saltem in regione) non bene curari, quaeritur, utrum seculi decimi sexti medio intermittentes febres tantopere a hodiernis distulerint, an vero veterum auctoritati medendi illa methodus tribuenda fuerit.

Ultimum hoc praecipuam causam fuisse, unusquisque, me judice, agnoverit, qui illius aevi scripta inspexerit, additis Foresti his in febribus praxeos summa, hucusque memorata, (quacum dolendum nos aliam non habere, quae conferatur) aequaliumque auctorum e recto oppositis testimoniis.

Quid

(4) *ibid. obs.* 32. *hscol et* L. XX. *obs.* 11. (5) *Prax. med.* (6) *Opp.* T. II. *p.* 61.

Quid hac de re senserit Eugalenus, cum ex aliis locis, quae directius etiam febres intermittentes tangunt, (7) tum e sequenti patet: „ Non dierum invasione, sed signis febres „ aestimandae. Id in omnibus febribus medicus apud nostrates respiciat, quantum ad veterum „ febres accedant, quantum discrepent. — Sic paucis diebus gravissimas febres curabimus, „ quibus nulla prius veterum profuit curatio. Ex quo neglecto factum, quod tantopere in his „ regionibus vilescere medicina coeperit, quae saepe plus offenderet, quam prodesset, artificum „ ignorantia loca et circumstantias non respicientium." (8) Quod ad illius medendi methodum attinet, antiphlogisticam plerumque non adhibuit, *antiscorbuticis* usus, id est, tonicis et stimulantibus, tum et nonnullis exquisitis, sicubi hisce in febribus *insolita* (9) (probabiliter *a veteribus minus notata*) quaedam symptomata deprehenderet, quae plerumque e nervosorum erant genere.

Unius autem Eugaleni testimonio non sufficiente, qui hac in re illi consentiunt, nobis opus fuisset auctoribus illius aequalibus: quum vero horum nemo tam diserte de intermittentibus febribus loquatur, consensionem illam infra, ubi de continuis sermo erit, inveniemus.

Quinquaginta, et amplius, annos postea ultimi hic nobis occurrunt veri galenistae, istius nempe doctrinae, quam schola illa post renatas in Europa literas secuta fuerat, in qua non quaerebatur et inveniebatur, nec etiam fingebatur et excogitabatur, quid natura ferat aut faciat, verum hoc in Galeni operibus supra litigium jam expressum habebatur, naturaeque studium in meram verborum captationem abibat. Inter strenuissimos erant N. Fontanus et Zacutus Lusitanus. Quamvis de his, aeque parum ac de illis, quos supra nominavi, dici nequeat, illos temporibus locisque plane non animum advertisse, ita tamen scribebant, suamque doctrinam praedicabant, ut nil mirum sit, maximam nostratium medicorum partem, praesertim e numerosa Sylvii schola, pedetentim in plane contrarium extremum delapsam fuisse.

Cortici Peruviano detecto magnam certe partem irreparabilem sui cladem debuit schola galenica. Praeoccupata in medicamentum opinio, quod derepente febrim tollebat, a sententia praecipue profectum, febri intermittenti determinatum paroxysmorum numerum necessario esse percurrendum, illisque in febribus semper evacuationes accidere debere, diversas tamen pro diversis typis, praejudicata illa opinio non poterat non experientiae tandem cedere, quae innumeris docebat casibus, corticem illum prudenti medico auxilium esse, quo absque evacuationibus, absque diebus criticis, tuto, celeriter et jucunde febres illas curaret: cum illa autem sententia totum systema galenicum corruit.

Non tamen Galenistarum dicendi superbia, vel et de galenici systematis futilitate persuasio tantum, verum et intermittentium hac in regione indoles, iisque debellandis non sufficiens solita methodus Cortici Peruv. introducendo plurimum favisse videtur. Tulpius e. g. monitum medicum habet, quod illi methodo minime favet. „ Febris quartana, quae passim oritur „ circa solstitium autumnale, desinit plerumque intra initia veris." (10) Dumque Reglus, Hippocratem secutus, docuisset, tertianam non ultra septem dies durare, in illud enunciatum Craanen annotat, (11) febres illas hic non adeo velociter decurrere et saepe per menses durare.

Non

(7) *De morbo scorbuto, p. m.* 51 *et* 60. (8) *ibid. p.* 53. (9) *ibid. p.* 58. (10) *Obs. med. p. m.* 267.

Non mirandum igitur, post Eugalenum alios etiam novam calcare viam ausos fuisse: sic Diemerbroeck narrat, se *plurimos tertianarios, imo et quartana laborantes vino absinthite sanavisse:* (12) quamvis hoc in laudem tantum illius medicamenti dici potuerit, probabile tamen est, illum, posthabita solita sui temporis medendi methodo, aliam tentare voluisse, cujus felicem eventum verbis citatis palam fecit. Magis etiam hoc probatur, quum eodem fere tempore ab Antonio de Heyde, ubi aequalium febribus medendi methodum carpit, tres casus, duos continuae febris, intermittentis unum, in quibus remedia calida sanationem attulerant, ideo allegatos videmus, „ ut inde clareat, calida febribus non semper esse nocua." (13)

Si jam, misso antecedenti illo tempore, indagare volumus, quae fuerit, ineunte seculo decimo octavo, harum febrium indoles, Boerhaavii aphorismos inspexisse suffecerit: ibi enim, cum quod ad sanguinis missionem (nam et hanc a multis Sylvianis culpatam Boerhaavius iterum laudavit) aliasque evacuationes, tum quod ad medicamenta stimulantia et roborantia, imprimis autem Corticem Peruv. attinet, medendi ratio proponitur, integri seculi experientia comprobata, quippe quae absque discrimine fere eadem sit, quam et hodie praestantissimus quisque nostratium medicorum sequatur: — hoc autem non tantum illius methodi excellentiam, verum et illud probare videtur, intermittentes eandem, quam Boerhaavii tempore, hodie monstrare et vim et formam, dum ex omnibus dictis pateat, febres illas, per ultimos 250 ad 300 annos parum indolem mutasse.

Quamvis nullam morborum observatorum, ex annorum ordine dispositorum, seriem reliquerit Forestus, cum tam singulos casus, quam epidemias ideo tantum allegaverit, ut theoriae suae et medendi methodo argumento essent, tum et praesertim exemplo morborum hic regnantium, intermittentes tamen illius, aeque ac nostro, tempore *intercurrentes fuisse*, propter epidemiarum, quarum apud illum mentio fit, frequentiam, minime dubito. Plures citat epidemias graviter affligentes, sive e solitarum solo causarum epidemicarum auctu, sive e tempestatis anni cum constitutione stationaria conjunctione natas: et hodie tales saepe nostrates affligunt: ad determinandum tamen, an hac in parte discrimen locum habeat, multis talibus indicibus nobis opus fuisset, quales, proh dolor! perpauci et exstant et fiunt, non mortuorum nempe, sed aegrotantium indices.

An et quae fatalis exitus fuerit differentia, determinari, me judice, nequit: de urbe Londino, apud Batemanum, (14) computatum invenimus, ibi inter annum 1629 & 1636, quorum posteriore Hispanis Corticis Peruviani vis innotuit, hasce febres adeo mortiferas fuisse, ut in quadraginta hominibus febribus necatis, intermittente perierit unus, dum hodie ex mille et centum unus tantum tali modo interficiatur. Ejusmodi quid de nostra regione determinari nequit, cum pristinorum temporum nobis plane desint mortuorum indices, dum contra in Anglia ab iis inde saltem temporibus ad manus sint.

(11) *Lumen rationale med. sive annot. in praxin Regii. p.* 262. (12) *Opp.* T. *II. Obs. et cur. p.* 100.
(13) *Exper. circa sang. miss. Accedunt observ. p. m.* 63. (14) *Reports on the diseases of London etc. p.* 5.

DE FEBRE BILIOSA ET BILIOSO-PUTRIDA.

Ab intermittentibus febribus ad biliosas aptus fit transitus, cum harum plerisque, quae in hac nempe regione occurrunt, cum illis magna intercedat affinitas.

Febris exquisite biliosa continua, verus veterum medicorum causus, quae fortasse semper cum manifesto hepatis statu inflammatorio conjuncta est, et in qua, per totum morbi decursum, nihil fere nisi mera bilis ejicitur, raro hic occurrit: illa opinione erant et nostratium antiquissimi medicorum: „ Impura febris ardens est, inquit Thriverius", (15) „ quae cum cholera partem aliquam pituitae *effatu dignam* commixtam habet. Fieri non potest, „ ut juvenis calidus & siccus pura ardente laboret, qui sub septentrione habitat, aut in hyeme „ alibi aegrotat. Sitis potius magna quam vehemens, lingua aspera, sicca, ut in alia, at „ magis alba," et diserte hoc de nostra regione testatur Lommius, (16) dicens: „ Rarissime „ nostratibus febres, ex tenuissima ac sincera bile vehementer incensae ac liquefactivae accedunt; „ quoniam propter naturae temperamentum, coelique ac victus rationem, bona pituitae pars „ bili admiscetur, unde febres minus acres."

In eadem opinione versatus fuisse videtur J. Heurnius: ab una enim parte Aethiopes, ab altera Scythas, Anglos et Scotos in exemplum affert, ubi in pluribus uno operum locis, (17) illud inculcat, nonnullis gentibus funestam esse febrim ardentem symptomatum vehementia, aliis causae magnitudine: quam aliam enim ob causam petita ab hac regione exempla non praetulit, nisi quod febres vere ardentes hic non observasset?

Quanti autem momenti tantorum testimonia virorum sint, videamus tamen, ut haec argumenti pars lucidius patescat, quid de febre ardenti biliosa annotaverit Forestus: in qua materia, sicuti in aliis, tractanda nobiscum cogitandum est, in illius operibus insigniores probabiliter ipsi observatos casus annotatos inveniri.

In octo casibus, a 15°. nempe Libri III ad 22um. usque, de *causo* sive *febre ardenti* loquitur. Obs. 15a. revera fuit febris continuae remittentis, initio imputris, mox nervosae factae. Nullus vomitus. V. S. et lenis alvi ductio. Exitus funestus. — Obs. 16a. Febris adeo mitis, ut *causi* nomen non mereatur. — Obs. 17a. Febris inflammatoriae species, post V. S. et antiphlogisticorum usum asthenica facta. Mors septimo die secuta. — Obs. 18a. *Febrim* nervosam simulat. Initio parum rigoris, dein symptomata nervosa. Parum bilis, *cura* non descripta. Sexto die mors. — Obs. 19a. Nomine tenus febris ardentissima: revera autem Phrenitis fuisse videtur. Cura haud notata. Mors ante diem septimum. — Obs. 20a. Febris subinflammatoria cum tantum non nullis bilis signis, in juvene. V. S. quatuor unc. Antiphlogis-

(15) *Comm. in HIPP. de rat. victus in acutis. p.* 159. (16) *De cur. febr. cont. p. m.* 213.

(17) *Hipp. Proleg. et Prognostica cum comm. J. HEURNII ad* L. *II.* § 76 *et Comm. in HIPP.* L. *II. Aphor.* 34. *No.* 6.

gistica et Eccoprotica. Die septimo sanatus. — Obs. 21a. Inter omnes haec febris in rustico robusto, bilioso, maxime causum verum refert. Vomitus parum. Catharsis major, maxime autem datis eccoproticis. V. S. unc. octo. Septimo die epistaxi sanatus. — Obs. 22a. *Febris satis ardens* cum symptomatibus biliosis in femina quadraginta quatuor annorum tempore autumnali. V. S. unc. quinque et Eccoprotica. Die septimo sudore sanata.

Hae fere omnes sunt observationes, in quibus Forestus morbo febris ardentis nomen impertivit: in iis tamen varias febres accumulatas videmus, quarum uni tantum, 21ae. nempe, illud nomen forte competit.

Aliquantum nostram ad se trahunt attentionem L. II. Obs. 1a. et 2a. in quibus de febribus inflammatoriis homines biliosos aggressis sermo est: cum tamen inde, causos adfuisse, non demonstretur, Libri V, qui de febribus compositis agit, Obs. 24ae. animum advertamus: ibi synochi causonidis nomine verus depingitur causus. Aegrotus vir erat valde robustus: anni tempus mensis Augustus. Febrim propemodum continentem fuisse, e nomine patet, tertia tamen nocte pejus se habebat aeger, id quod abditum typum tertianum arguere videtur. Ante illud tempus jam lenitivum datum et sanguinis libra una missa fuerat. Hepatis calor et diarrhoea biliosa. Post quatuordecem dies sanatus.

Hujusmodi itaque febris vix duo exempla exstant: nonne igiur nobis statuendum est; Foresto idem fere evenisse, quod secula duo et semis postea Volteleno, qui febrim ardentem biliosam (Ultrajecti saltem) raro sibi occurrisse, testatus est. (18) Probe hic nobis attendendum ad vocem *ardentem*, cui, quamvis per se indefenitae, symptomatum magnae vehementiae, immanitatis sensus affigendus est: si enim hanc significationem, quamvis indefinitam, non assumimus et unicuique quamtumpote sincerae febri biliosae, quae aestivo tempore exacerbationibus tertianis occurrit, ardentis nomen imponimus, Forestum a se ipsum pro suo tempore, pro nostro Voltelenum ab alio de patriae medicina bene merito scriptore, Cl. Thuessinkio disfentientem videmus. Apud Forestum enim, de causo locutum, nonnulla similis febris, non vehementibus vero symptomatibus, exempla inveniuntur, quibus nec causi nomen imponit. (19) Omnium maxima sanguinis in iis missi copia unc. erat sex. — Cl. Thuessink in universum statuit, febres biliosas stricte ita dictas alliquando, praesertim autem tunc, quando aestatis extremae tempestas est calida, in nostris regionibus regnare, easque a febribus gastrico — biliosis bene esse distinguendas. „ Magis tamen" inquit „ illae febres in regionibus calidis regnant." (20) Haud probabile tamen, febres illas, a viro cl. observatas, eodem jure vere biliosas potuisse dici, quo in regionibus calidis regnantes: diserte etiam, de epidemia Groningana anni 1809 agens, dicit: „ lingua tamen rubra erat, aut non nisi alba." (Conferatur hic, quod supra e Thriverio allegavimus.)

Si igitur causus et febris vere biliosa revera ab invicem differant, nec a se ipse Forestus, nec a Volteleno Cl. Thuessink differt: — Sin autem eaedem sint febres, illud imprimis quaeritur, quid hic vel ille a febre cum symptomatibus biliosis exigat, ut causi nomen mereatur: quod, in-

(18) *Verh. der Corr. Soc.* D. I. *Afd.* II. *a. bl.* 506. (19) L. II. *Obs.* 24. 26. 27. 29. 30.

(20) *Geneesk. Waarnem. bl.* 31 *en* 36.

incertae illius vocis significationis ratione habita, e variorum sententiis admodum varium esse potest. Ultimum autem illud, me judice, verum est.

Verus igitur causus et pristino tempore et recentiori raro observatus videtur: Boerhaavius certe alicubi de suo tempore affirmat (21) „ quod a viginti abhinc annis — non tam frequentes „ fuerant febres ardentes"; genuinum autem causum hic non significavit; cui et illud accedit, quod justam febris ardentis ideam enucleans, non propriam, sed Hippocratis experientiam in testimonium vocet: eoque minus illud mirandum, cum in annotationibus, quas per septemdecim annos de constitutionibus Lugduno-Batavis habuit Swietenus, nullibi ferme febres biliosas charactere inflammatorio stipatas conspiciamus.

Ultimum autem hoc pro singulari forte tempore et loco ita factum est: quo igitur omisso, si exemplis a Foresto allatis Cl. Thuessinkii testimonium opponamus, febres biliosas verius inflammatorias prioris aetate quam nostrâ frequentiores fuisse, non apparet.

Videamus jam de magis vulgari huic regioni morbo bilioso, febribus nempe bilioso-putridis, pseudo-biliosis, biliosis autumnalibus, in qua re tractanda, cum obscutiora sint ea, quae ante Forestum literis fuere mandata, ab ipsius annotationibus exordium ducam.

Magna apud illum febrium, quae plus minus ad bilioso-putridas referendae sunt, diversis tamen sub nominibus occurentium, invenitur copia.

Epidemiam commemorat Alcmarianam aestate adulta et extrema anni 1556, (22) supra obiter jam relatam, optime tamen et huc referendam, in qua semitertianae, tertianae spuriae et duplicatae mistim occurrebant. Cum et in tertianis et in semitertianis sanguinem mittere solitus esset, eandem illam medendi rationem hujus etiam epidemiae initio secutus fuisse censendus est, qua de re pag. 2 nonnulla jam animadverti: maximam porro Foresto opem praestitere acida vegetabilia; nec mirum: quamvis enim febres illas initio biliosas fuisse omnes non pateat, ejusmodi tamen adfuere, quemadmodum ex II. 5: et 7 apparet, id quod etiam pluribus pueris accidit, et bilioso-putridam suam indolem brevi aperte manifestavit epidemia. Quae enim initio benigna fuerat, brevi adeo indolem mutavit, ut malignas et pestilentiales febres anni 1556 autumno Alcmariae regnasse, alibi (23) dicat Forestus, quorum tamen verborum posterius non nimis stricte interpretandum est, cum casus a Foresto citati doceant, easdem illas semitertianas et tertianas fuisse, quae ante autumnum jam sese prodiderant, nunc autem vehementioribus symptomatibus et magis magisque aperto charactere bilioso stipatas. Quâ versus epidemiae finem usus est Forestus, medendi rationis exempla, quamvis non admodum conspicua, habemus in III. 14 et 17, ut et in V. 16. 17. et forte 18. In horum quinque casuum duobus parvae V. S. factae sunt, absque magna, me judice, necessitate: in omnibus decocta alvum laxantia cardinem curae constituebant, hancque absolvebant stomachica; sanatio in universum nec celeris nec tuta fuisse dicenda.

Praeter hanc epidemiam anni 1556, huc etiam (nec, id quod J. J. van den Bosch placuit, (24) ad febres catarrhales) referenda videtur epidemia item Alcmariana anni 1553, quamvis illa nonnihil diversa (25). A mense scilicet illius anni Augusto ad Novembrem usque regnabant ibi febres mali-

(21) *Prax. med. sive Comm. in Aphor.* P. III. *p. m.* 305. (22) L. III. *Obs.* 4. *et* L. V. *Obs.* 1.
(23) L. V. *obs.* 14. (24) *Verh. over de ziekten van het vaderland*, *bl.* 201. (25) FORESTI L. VI. 4 *et* 5.

lignae et quasi pestilentiales, omnes fere cum vermibus. Duos affert casus Forestus in VI. 4. Feminae quadraginta annorum post alvi ductrionem sanguis mittebatur non cum bono successu. Vermibus ejectis die septimo convaluit. — Feminae debili et diarrhoea verminosa laboranti aperientia praescripta, deinde subadstringentia. Intra novem dies sanata. In utroque casu syncope locum habuit. — His casibus addo VI. 5. Puellae septemdecim annorum in eâdem vel simili epidemia. Varii generis symptomata nervosa. V. S. post eam syncope. — VI. 6. Matronae quinquaginta annorum febre per tres menses conflictae cum vermibus. Syncope. Alvo subducta ob *melancholiam* et *venas amplas* V. S. unc. sex, quam *utcumque tulit.* Vomitus biliosus pituitosus, tandem magna dejectio cum vermibus. Post tres menses sanata. — VI. 38. Praecedentis instar in puero. Ob debilitatem V. S. non facta.

Ultimas quinque has observationes ideo attuli, quod exquisitae non sunt, sed fere, si non omnino, omnes, quas de *febribus malignis* et *quasi pestilentialibus*, expresso nempe nomine, habet Forestus: jam autem rogo, num morbi indolis ratione habita, symptomatibus coactus fuit Forestus, ut tam saepe, quam quidem fecit, ad princeps e methodo antiphlogistica remedium confugeret: equidem non opinor, et denuo praejudicatam illius opinionem accuso.

Quamvis ulterius etiam quosdam morbi biliosi casus sive sporadicos sive ex aliis epidemiis sumtos, II. 14 nempe, et V. 3. 7. et 13 (in quibus omnibus parvae factae fuere V. S.) a Foresto memoratos inveniamus, probabile tamen est, illum deinceps in harum febrium epidemiis, quos observaverit, annotandis, negligentiorem fuisse, quippe et libro sexto, quo de febribus publice grassantibus et morbis epidemiis agit, de illis mentionem non faciat: id autem faciendi quam multiplicem illi fuisse occasionem non oportuit, cum per paucos tantum annos Alcmariae, ubi citatas observavit epidemias, artem exercuerit, per triginta vero ad quadraginta Delphis: priorem autem urbem ob aquas mobiles et plateas latas posteriori saniorem dicit, (26) cum hic aquae stagnantes im canicula putrescant et oleant, unde saepe pestis, v. g. decimo quoque anno: cum autem illud etiam vocabulum hoc loco verisimillime febrium bilioso-putridarum sensu accipiendum sit, cumque supponere liceat, temporis intervallis, quae tam graves epidemias ab invicem separabant, minoris momenti nonnullas regnasse, plures profecto, quam quidem reliquit, relationes nobis relinquere potuisset Forestus.

De ipsius medendi methodo verbum addere insuper liceat. In universum non adeo regulariter ac in purioribus febribus sanguinem hic misit, quamvis, ut mihi quidem videtur, nimium etiam. Nec antiphlogistica fuit praescripta diaeta. „In hac febre" inquit „conveniunt ptisanae non „tenues: in nostra regione, maxime autumno, jus pulli, imo caro, tum saepe vinum tenue." Laxantia, incidentia, ita dicta decocta communia caput curae erant. Emeticum nulli praescriptum invenitur. Eoque magis de hujus febris casuum a Foresto descriptorum penuria nobis dolendum, cum eidim illi diluenti methodo et emesi neglectae tribuat Stollius, quod febres biliosae, Swieteni curae commissae, quatenus in hujus *constitutionibus L. Bis.* exstant, omnes fere in putridas abierint. (27) Redeamus vero ad epidemiarum recensionem.

A Cornelio Gemma memoriae proditum est, annis 1572, 73 et 74 in Belgio epidemicas regnas-

(26) L. VI. *obs.* 9 *schol.* (27) *Conf.* STOLLII *praef.* p. X.

nasse febres, quae proxime ad Galeni Hemitritaeas accedebant: ipse pestilentes eas vocabat Gemma, dum postea Spigelius malignarum tantum nomen iis imposuerit: quamvis hae febres ad finem vergentes cuncta febrium putridarum et nervosarum symptomata ostenderent, intio tamen revera biliosae erant, nam „ aderant frequentes vomitus circa initia, saepe et ventris per inferna excretio „ turbulenta, in omnibus et bilis exuperantis summa malignitas et pituitae lentor apparuit." (28) De medendi ratione unum illud annotat Spigelius, Gemmam scribere in sua Hemitritaea mortuos plures, quibus V. S. adhibita fuit, quam quibus omissa.

Annis igitur 1572, 73 et 74 Belgium invasere febres bilioso-putridae malignae, omnes fere cum vermibus: eadem anni 1556 tempestate ibidem quasi pestilentes regnavere febres biliosae: loci conditiones, sub quibus pestis vel febres pestilentiales, Foresto teste, saepe, v. g. decimo quoque anno, Delphos invadebant, aperte ostendere videntur, eas febres fuisse pseudo-biliosas: — nonne haec omnia arguunt, posteriori saltem seculi decimi sexti dimidia parte febres pseudo-biliosas his in regionibus saepe grassatas fuisse, imprimis si supponimus, id quod cum jure fit, et Forestum et Gemmam minoris momenti epidemias tacuisse? quid igitur viginti quinque circiter annos postea, longe aliter hac de re ut referret, Spigelium impulit?

Ineunte nempe seculo decimo septimo clarus ille Bruxellis natus medicus librum scripsit de *semitertiana:* supra autem jam vidimus, Epidemiae Alcmarianae anni 1556 febres, nobis pro bilioso-putridis habitas, quod ad typum attinet, secundum Forestum saepe fuisse semitertianas, id est, ex tertiana intermittente et quotidiana continua compositas: cum enim de typo accurate investiganda satageret Forestus, jure statuere licet, de veris semltertianis illum locutum (29) (quamvis et semitertianae spuriae forte subrepserint): praecipue cum negari nequeat, nostris fortasse etiam sub morbis biliosis saepissime, si non semper, latere semitertianas: quantumvis enim difficilis diagnosis sit, semitertianae condltiones, pro febre intermittente systematis nervosi, pro continua hepatis affectus, biliosi originem morbi optime explicant.

Ex hoc igitur, cum Foresti testimonio collato, probabile jam fit, dictum Spigeliani libri titulum significare *de morbo bilioso:* apertum autem hoc fit, perpensis symptomatibus, prout in singulis, ab illo citatis casibus, ubivis fere describuntur, additis, quae supra de epidemiis a Gemma observatis, a Spigelio ad semitertianas relatis, dixi. Maxime tamen alias regiones spectabat illa Spigelii scriptio, in quibus endemia erat illa febris aut frequenter versabatur, majorem item vitae partem medicinam exercuit ille. „ Germani Rhoeni accolae" inquit (30) „ et Belgae minus „ hoc malum sentiunt: nisi quo anno dysenteriae contagiosae grassantur, quae plerumque ante „ finem aestatis et in principio autumni conspiciuntur. Nam apud hos, praecipue Belgas, magnae temporum mutationes non fiunt. Lana et pellibus se vestiunt usque ad initium aestatis, „ quibus contra vernam aëris inaequalitatem sese satis tuentur. Cibis, quibus hyeme quotidie „ vescuntur ex rapis, napis, pastinacis, carotis sive dauco, tum nigro, tum *flavo* Theophrasti, „ se magnopere per urinas purgant."

Super hoc loco prius animadvertendum, certo non constare, an Spigelius *Belgarum* nomine sep-

(28) *Spigelius. De semitertiana p. 73.*

(29) *Conf.* L. V. *obs. 1. 14. et 17.* L. II. *obs. 4.*

(30) *De semitertiana. p. 57.*

septentrionales etiam Belgas complexus sit. Probabile tamen id est, cum verbum ipsum illos non excludat, illudque, quod de vestitu dicitur, peculiariter in illos quadret.

Citata autem Spigelii verba in universum perobscura habenda sunt. Ex iis enim eliciendum foret, semitertianas per *totum anni decursum* Belgas, comparate saltem cum Germaniae superioris incolis, raro invasisse, idque calidi vestitus tum et vegetabilum usus gratia, *utriusque anni initio.* Potuitne autem revera, ad Belgas per totum anni decursum incolumes praestandos, ultima illa paria credere Spigelius? non facile crediderim: quod si ab una parte addimus, animadversionem de vestitu non tangere nisi ver, (31) et ab altera parte, Spigelium de Germaniae superioris incolis testari, illos aestate omnis generis fructibus copiose usos fuisse, non possumus non mirari, Spigelium adeo generaliter de Belgis, tanquam semitertianis raro correptis, locutum fuisse, cum alibi de illis febribus tanquam antumnali etiam tempore Germanis calamitosis dicat. Ultimum sane hoc immoderatae et imprudenti victus rationi tribuit Spigelius; eratne vero victus temperantia popularis Belgarum virtus? — Ex allatis Spigelii verbis, me judice, confici quidem potest, Belgas tunc vernali tempore raro morbis biliosis fuisse correptos (id quod deinceps etiam plerumque locum habuit) non autem, illud etiam autumnali tempore rarum fuisse, quocum etiam haud congrueret id, quod supra e tempore paulo superiori allegavi. Huic porro accedit id, quod Spigelius dicit, Belgas iis tantum annis semitertianas multum sentire, quibus dysenteriae contagiosae grassantur, id quod etiam monstrat, illas plerumque autumnales fuisse. Animadversio certe illa de anni tempestate aequalibus dysenteriis eatenus rem parum illustrat, quatenus, excepto Beverovicii testimonio de dysenteria anni 1624, plane nihil de illius temporis epidemiis dysentericis sciamus: nonne tamen mirandum, Spigelium, cum de tribus tantum semitertianarum epidemiis, annorum nempe 1617, 1620 et 1621 (32) mentionem faciat, illarum occasione epidemias dysentericas aequales aut inde ortos morbos secundarios neutiquam memorare? et nonne hinc concludere licet, alias etiam, praeter dictas, illi observatas, vel et, apud exteros degenti, relatas fuisse epidemias? Ita mihi saltem videtur, opinanti licet, Spigelii minus quam Foresti aetatem morborum ita dictorum biliosorum fuisse feracem, ita ut hujus morbi fortasse una tantum exstiterit constitutio stationaria: hoc enim posito, optime, me judice, explicatur, quare Spigelius tam parum studiose de harum regionum semitertianis locutus sit.

Quamvis igitur statuere nobis liceat, has febres Foresti tempore frequentes, Spigelii autem non insolitas fuisse, propter commemorationum tamen penuriam de tempore inter illos intermedio et ulterius etiam ad annum 1667 usque certi nil demonstrari potest: cum tamen de illis febribus immuni dicto Intervallo aequalium auctorum nullus diserte loquatur, dum contra in illius temporis compendiis medicis caet. de hac febre, tanquam de morbo admodum vulgari, mentio fiat, parum, me judice, impedit, quominus magis cognita Foresti Spigeliique tempora pro incognitorum norma habeamus.

Per majus minusve tamen temporis spatium ante annum 1672 constitutio stationaria adfuisse videtur: in illud enim cadunt annorum 1667 et 1669 epidemiae, quas non tantum ob anni tempe-

(31) *Conf. ibid. p. 40 et 39.* (32) *l. l. p. 67.*

pestatem, qua regnavere, verum etiam ob symptomata, quibus stipatae fuere, huc referendas censeo; quaecumque demum fuerit causa, cur Harlemi, Embdae, praesertim autem Leidae et Wesopiae ad malignitatis culmen pervenerit illarum posterior. De his autem epidemiis, praeter ea quae Leidae fuere annotata, quantum quidem scio, nil literis proditum invenitur.

De priore, in qua febres malignae factae non sunt, annotasse sufficiat, sanguinis missionem, Sylvio teste, in universum nocuisse. (33)

Posterior terribilis fuit ista epidemia, quae cum aliis in locis, tum Leidae ab anni 1669 mense Augusto ad anni 1670 mensis Januarii finem usque grassata fuit, hic loci primariorium incolarum, in quos plus etiam saeviebat, duas tertias partes necans. V. S., Sylvio teste, in universum non profuit: profuerunt autem acida et opiata. (34)

Fanoisius, qui etiam hanc epidemiam descripsit, (35) quod ad causas, Sylvio satis assentitur, quod ad symptomata et morbi decursum, paulo magis ab illo discrepat, toto vero coelo, quod ad methodum medendi: comparatio Sylvio non favet: etenim Fanoisins testatur, e duorum circiter millium numero, quos curandos, exceptis pauperculis, susceperat, vix duodecim se desiderasse: (de qua re Hallerum quidem dubitasse, nil probat). Primo illi loco remedium erat emeticum, dein autem V. S. *ne scilicet e venis in partes nobiliores irrumpens sanguis calore accensus, illic periculosas inflammationes excitaret.* Tum demum diaphoretica (quae sola data perniciosa erant) cardiaca et stomachica profuere.

Faustum suae methodi eventum praecipue, me judice, emeticis debuit Fanoisius: fateor, recentiori etiam tempore venae sectionem in hoc morbo non ab omnibus esse rejectam: — peculiarem epidemiae indolem illam exigere potuisse: — ditiores, adeoque omnium optime nutritos initio aggressam fuisse epidemiam: — totamque medendi methodum bene cessisse: omnia haec pro venae sectione militare: at morbi indoles, causae et symptomata, pulsus status, parvum causae a Fanoisio memoratae momentum, eodemque tempore, ordine etiam prius, cieta emesis, ut credam, me impellunt, absque venae sectione etiam locum habituram fuisse sanationem. Sylvium illam improbasse, in testimonium non adduco, quamvis animadvertere non possim non, illum de ea, ut quae non profuisset, loqui, dum in epidemia anni 1669 noxiam illam appellasset.

Post annum 1672, seculum decimum septimum, quemadmodum multis aliis, sic etiam hoc morbo immune fere fuisse videtur. Famosissimus Bontekoe circa annum 1684 tanquam de memorabili quadam re scribebat, (36) quod nempe ab anno inde 1672 in nulla Hollandiae urbe morbus notatu dignus regnaverat. Causam praedicat partim introductum Theae usum, partim furens per illud tempus bellum, quod millenos hominum impediverat, quominus sese in effrenatas antecedentium libidines temporum conjicerent: a quo etiam tempore cum pace rediissent *illae* morbi, tanquam individui comites, insecuti et novo igne quasi flagrantes observatae fuerant totae urbes. — Non plane adeo miser tamen hic rerum status fuisse videtur, nisi per breve temporis spatium; cum initio „ab anno inde 1672 ad *hoc* tempus usque" caet. ipse dixisset Bontekoe, et circa annum 1699 de illa morborum immunitate, ut quae tunc etiam locum haberet et per viginti re-

(33) *Opp. p. m.* 794. (34) *ibid. p.* 815. (35) *Halleri Coll. disp. pract.* T. V. p. 203. et *Bibl. med. pract.* T. III. p. 295. (36) *Alle de werken*, D. II. *bl.* 298.

retro annos duravisset, loquatur Goris. (37) Pro causa habebat frigus, aërem adeo temperans, ut eodem tempore, cum olim hic, ut jam, inquit, alibi, siriaco torretur spica calore, non ingratus quibusdam sit focus, tum et canalium fossarumque aquas, ob idem illud frigus praeter consuetudinem aestate non foetentes.

Non prorsus tamen hisce febribus immune fuit dictum temporis intervallum, cum, ne de Bontekoei verbis denuo dicam, anno 1691 illarum epidemia fuerit, Lugduni a Sylvio Jun. (38) et Dekkersio (39) observata; emetica dabat illorum neuter; leniter laxantia uterque, adhibita simul, imprimis ab illo, antiqua Sylviana medendi methodo: multos aegros recidivas fuisse passos, testatur Sylvius; morbo ad finem vergente ubique fere aphthas fuisse observatas, Dekkersius. Amstelodami etiam, multisque aliis in locis vehementer grassata fuit haec epidemia, testante Herveltio, (40) qui commodum emeticis praestitum multum laudat, nec aphthas memorat. Commoda vomitu, noxas autem venae sectione allatas praedicat etiam de Moor, (41) de quo et illud imprimis animadvertendum, illum bilem aestate calida et sicca auctam hoc genus febrium causam praedisponentem, cutis autem obstructionem, recentiorum nonnullorum instar, causam occasionalem habuisse.

Seculo decimo octavo nobis primo loco una, vel si mavis, duae occurrunt constitutiones stationariae, annorum 1719, 1720, 1727 et 1729 epidemiis indicatae, deinceps autem, maxime diuturna quaedam, ni plurium brevibus sese intervallis subsequentium series fuerit, ab hujus seculi medio ad annum circiter 1780 usque.

Anno nempe 1719 in multis hujus regionis tractibus, praesertim autem in Hollandia et Zeelandia epidemia regnabat, cujus non inconspicuam nobis reliquit descriptionem J. de Koker: (42) ad solutos morbos biliosos referenda mihi videtur illa, et quidem, propter infaustum methodi antiphlogisticae, sanguinis missionis puta, successum et propter rationem, quae, teste ipso de Koker, ut emetica daret, ipsi persuaserat, Hippocratis nempe monitum: (Coac. Praenot. Sect. II) *vomitus iis perquam utiles esse, qui bilem pituitae permistam habent.*

Annis 1720, 1727 et 1729 iterum epidemiae regnabant: has febres Oosterdyk Schacht emeticorum ope feliciter in universum sanatas vidit. (43) Anni 1727 epidemiam descripsit etiam Boerhaavius, (44) quam febrium ardentium fuisse, pene subire posset cogitatio, cum dicat: „In „morbis acutis inflammatoriis distenditur mirifice (*vesicula fellea*) ut in febre anni 1727." Attamen, quemadmodum ab Oosterdykio, sic nec ab illo venae sectionem laudatam invenimus: commode usurpatis emeticis, diluentibus, sale polychresto, contrayerva et opio, ipso teste, *omnes* suae curae commissos sanatos vidit, quamvis hic morbus multis fuerit fatalis, Amstelodami imprimis, in qua urbe regnare pestem, apud exteros fama erat. (45)

Ab anno circiter 1730 ad medium circiter illud seculum usque his in regionibus parum regnasse videntur morbi biliosi, ita ut hoc temporis intervallo nulla fortasse exstiterit constitutio sta-

(37) *Medicina comtempta.* p. 344. (38) *Disp. de febri nuperrimâ epidemicâ.* (39) *Alle de werken.* D. II. *bl.* 545. (40) *Geneesk. aanmerk. bl.* 201. (41) *Cogit. de instaur. medic. p.* 160. (42) *Haller. l. l. p.* 219. (43) *Verh. van de Haarl. Maatsch. D.* VI. *bl.* 111. (44) *Epist. ad Bassand. p.* 146, *et Praelect. in Instit. vol.* III. *p.* 151. (45) *Tronchin. De Col. Pict. p.* 22.

stationaria: (46) graves tamen, illo durante, observatae fuere epidemiae, quae tamen, a peculiaribus loci temporisque conditionibus ortum duxisse videntur.

Post praegressum sterilem annum et subsecutam inundationem, anni 1741 tempore verno Culenburgi prodiit morbus, qui Kloekhofii (47) descriptione inclaruit et, me judice, ad febres bilioso-putridas referendus est. Kloekhof ipse, illum pro continua inflammatoria habuit, verum id, quod statuo, mihi probare videntur sequentia. 1°. Nullibi febrem illam continentem dicit auctor. 2°. Nullo suorum operum loco de continuis febribus e genere intermittentium loquitur. 3°. Intima auctoris pyretologiae ratione cum ipsius febris descriptione comparata, ejusque rei gratia, infra citatis (48) praesertim illius operum locis examinatis, manifesto apparebit, aliquantum diverso a Kloekhofiano ratiocinio, optime et, me judice, melius, assumi hic posse intermittentes reconditas. 4°. Febribus bilioso-putridis producendis apta nata erat temporis locique ratio, moeror nempe, solum et habitacula humida et victus corrupti usus. 5°. Post venae sectionem, qua ejusmodi in rerum statu, nimis, me judice, generaliter (49) usus est Kloekhof, praecipuum illi remedium erat Emeticum. (50)

Has igitur ob causas febrium bilioso-putridarum illam fuisse epidemiam equidem credo: illud, quamvis per se parvi momenti, paulo accuratius perscrutari conatus sum, quoniam, ut mox videbimus, de Man illas febres citat.

Praeter illam epidemiam alias etiam pseudo-biliosas illud temporis intervallum vidit febres, quae ab anno 1742 ad annum 1748 usque conjunctas Batavorum et Anglorum exercitus propter situm in Brabantiae et Flandriae paludibus, aliasque ob causas magno numero invasere et nosocomialium tandem febrium induere formam: (51) hunc autem morbum per nostram regionem non proserpsisse, cum ex aliarum defectu mentionum, tum ex eo colligere licet, quod in ejusmodi magis universali epidemia, vel contagione; si locum habuisset, commemoranda negligens futurus non fuisset Pringle: ipsum illud enim, quod de ista febre nonnullorum Flandriae pagorum incolas adorta dicit, de civium contagione illum cogitasse, demonstrat. (52)

Loquitur sane ille (53) de febribus a miasmate paludoso anno 1748 Bredae et Sylvae — Ducis, praecipue autem in vicinis pagis saevientibus, verum nec hic contagio per exercitum causa erat, unice vero exhaustae inundationes, quae belli causa consulto effectae fuerant: omnium plurimum pauperes invadebant illae febres et „ per multos retro annos" addit Pringle „ tot morborum „ calamitates experta non fuerat haec regio, cum simul non concurrissent duae tantae causae, „ inundationes nempe cum aestate et autumno ardentibus et vapidis." Unde probatur, per varios ante illud tempus annos morbis biliosis immunem fuisse illum regionis tractum, et constitutionis stationariae absentia ante medium seculi decimi octavi confirmatur.

Hasce autem febres aeque ac Culenburgenses eundem morbum habebat de Man (54) ac illum, quem ineunte anno 1771 Mauriciae pariter post inundationem observabat, quemadmodum anno post alium etiam, eadem causa productum, Dreumeliae vidit: (55) cui sententiae album calculum equidem

(46) *Conf.* E. VALK, *Verhaal van de loopziekte te Kampen in* 1736. (anno 1744. conscripta)
(47) *Opuscula med. p.* 1. (48) *idid. p.* 5. 7. 12. 112. 189. 209 *et* 239. (49) *ibid. p.* 21. 23. *sqq.*
(50) *ibid. p.* 36. (51) PRINGLE *Legerziekten.* D. I. passim. (52) *ibid. bl.* 48 *et* 49.
(53) *ibid. p.* 86 *et* 94. (54) *Verh. over de kwaardaartige rotkoorts — te Maurik. bl.* 52. (55) *ibid. bl.* 60.

dem adjicio, qui et in his febribus aliud non videam, nisi intermittentes reconditas, aut fortasse semitertianas pseudo-biliosas, quacumque demum de causa malignas factas. De ultima epidemia *dubium* fuisse dicit de Man, (56) an non peregrinus quidam mense Majo anni 1770 morbum illum illic introduxisset: de ejusmodi autem contagione eo magis dubitandum, cum illius tractus soli naturam, praecipue in dicto rerum statu, memorato morbo producendo prorsus idoneam fuisse testetur ipse auctor: de Mauriciana autem epidemia, hanc, quantum notum esset, ultro fuisse ortam: (57) eoque minus probabilis erat illa aetiologia, cum epidemiae Culenburgensis et febrium anni 1748 supra memoratarum manifesta esset origo endemica, quae nec illum fugiebat.

Mirari idcirco utique licet, alias febres, ab anno inde 1756 Neomagi et in viciniis a se observari coeptas, et, ipso judice, *in omni re* (58) Mauricianis similes foris irrepto contagio adscripsisse eundem auctorem; (59) qui inde nempe illarum originem repetebat, quod Gallorum exercitus anno 1757 Cliviae degentis variorum ordinum milites Neomagum invisum venissent, id quod probare videtur, in illo exercitu, quamvis sat otioso, malignas tamen tunc regnasse febres: — medice admodum incerta est haec aetiologia, (conf. supra pag. 18 dicta), verum, hoc omisso, nec ob sequentia probabiils. 1°. Quoniam, ipso de Man teste, anno jam 1756 morbus ille Neomagi hic illic observatus fuerat, dum non nisi exeunte anno 1757 Gallorum exercitus Cliviae castra degerit. 2°. Quoniam aliarum varii aevi hujus generis epidemiarum endemica origo e supra dictis nobis innotuit.

Jure itaque, ultimum hoc de illis etiam febribus, quas de Man ab anno inde 1756 (scripsit hoc anno 1771) Neomagi et in viciniis quotannis fere observavit, statuere licet: num vero aestate extrema regnavere illae febres? illud perquam probabile: quamvis enim nullibi diserte id testetur de Man, sequentibus tamen arguitur. In Majoratu epidemicam dysenteriam saepe regnare fuisse solitam, frequentiores autem, quaeque dysenteriae vicem rependissent, factas sibi visas esse febres putridas ad de Man nunciaverat van der Haar, (60) cui id ipsum cum sua sibi experientia congruere, respondit ille: — cum autem dysenteria et febres bilioso-putridae tantopere sibimet cognatae sint, dictis verbis, nisi maxime fallor, hae febres significatae fuere, et de suis *post annum* 1756 *Neomagi et in viciniis grassatis febribus putridis* cogitavit de Man: cumque porro dysenteria aestatis extremae sit morbus, utrumque illud de auctis febribus putridis testimonium illi tempestati applicandum erit. Quod anni initio locum habuere epidemiae Culemburgensis, Mauriciana et Dreumeliana, molestias quidem non creabit, eo magis, cum febres putridae, quae anno 1748 in Majoratu regnabant et, teste de Man, epidemiae Mauricianae febribus aequales erant, aestivae et autumnales essent.

Constitutioni itaque stationariae tribuere licet, quod post annum 1756 in Gelriae parte quotannis fere febres putridae regnaverunt, ipsaque haec observatio tunc temporis facta, tractum illum antea, per aliquot annorum spatium, illis febribus fuisse immunem, demonstrat: ejusmodi quid de Majoratu testimonium a van der Haar proditum docet, quod utrumque igitur cum probabili constitutionis stationariae post annum 1729 in Hollandia etiam absentia optime congruit. U-

rum

(56) *ibid. bl.* 61. (57) *ibid bl.* 3. (58) *ibid. p.* 56. (59) *ibid. p.* 52. *et* 57.

(61) *VAN DEN BOSCH*, *l. l. bl.* 143.

trum vero in hac ultima quoque, aliisqu provinciis, quemadmodum in iis, de quibus dixi, post annum 1756 febres biliosae aestivae auctae fuerint, ignorare me fateor.

Probe tamen animadvertendum, quod, quam angusti hujus regionis sint limites, tantum tamen epidemiarum, imo constitutionum stationariarum adsit discrimen, ut uniuscujusque tractus, uniuscujusque urbis conscribenda foret historia: sic intervallum ab anno 1759 ad annum 1772 usque, quo solito plures febres bilioso-putridas observavit de Man, hac in re Ommelandiae orientali, ubi caeteroqui semper magis minusve occurrunt hae febres, propitium fuisse videtur: ab anno enim 1759 ad annum 1772 usque, teste G. Muldero, in illa regione non regnaverant harum febrium epidemiae notatu dignae: (61) de alliis tractibus modo ignorantiam fassus sum.

Circa annum autem 1772 nova, eaque magis universalis constitutio stationaria, quae per plures annos duravit, exorta videtur: sic primo loco descriptionem habemus epidemiae ab Elsackero (62) anno 1772 Antverpiae observatae, quae, ipso teste, in multis Belgii, imo Europae urbibus regnavit: illam hujus anni limitibus circumscriptam non fuisse, ex eo elucere videtur, quod Elsacker annotat, ab anno 1770 ad annum 1774 (quo haec scripsit ille) usque multo saepius quam ab anno 1740 ad annum 1770 flasse Austrum: — porro a dicto Muldero memoratum invenitur, inter annos 1758 et 1780 in Ommelandia orientali maximum febre bilioso-putrida laborantium numerum observatum fuisse annis 1759, 1773, 1775, 1779 et 1780: — anno etiam 1773 supra citata testimonia perhibebant de Man et van der Haar, ergo in illorum etiam viciniis tunc regnabant illae febres; — in actis tandem Societatis ad Comm. Epist. permultae inveniuntur annotationes, quae dictam sententiam probant. Hoc etiam temporis intervallo accidit gravis illa, quinimo contagiosa, epidemia Bleiswykiana, (63) quae, absque constitutione stationaria, numquam forte ad illum malignitatis gradum pervenisset.

Van den Bosch (64) igitur et Michell, (65) quamvis circa annum 1783, perverse, me judice, dixerint, frequentiores fieri febres putridas, in quantum scilicet in universum id statuerint, propter frequentes tamen per aliquot annos sibi observatas epidemias facile excusari possunt: in sequentia tamen tempora non quadrat illud enunciatum, cum non tantum ab eo circiter inde tempore desiisse videatur constitutio stationaria tunc regnans, sed et in universum imminutae febres bilioso-putridae.

Probat hoc plurium retro annorum experientia, tum et, quod ad modo definitum tempus attinet, silentio praeterire non possum, quod a viro doct. à Roy, qui per dimidium pene seculum Amstelodami medicinam exercuit, accepi, post idem illud nempe circiter tempus vehementes illos morbos biliosos, quos antea viderat, non amplius se observasse: quod quidem testimonium non satis demonstrat, cum unicam tantum urbem spectet, at tamen relationibus ab eo inde tempore typis mandatis confirmatur: quippe frequenter quidem de epidemiis mentionem factam reperimus, (66) haec vero talia fere tantum loca attingit, ubi non nisi tam faustis sub conditionibus, cu-

(61) *Verh. der Corr. Soc. D. I. Afd. II. b. bl.* 894.

(62) *Spec. febrem bilioso-putridam, anno 1772. Antverpiae grassatam exhibens.*

(63) *Conf.* BICKER, *Aanm. op* PRINGLE'*s Legerz. D.* I. *bl.* 14 *en* 28, *et* INGENHOUSZ, *Vermischte Schriften. S.* 113.

(64) *Verh. der Corr. Soc. D.* I. *bl.* XVIII. (65) *Verh. van het Utr. Gen. D.* III. *St.* 1. *bl.* 475.

(66) *Conf.* STIPRIAAN *enz. Geneesk. Magazijn. D.* IV. *St.* 2. *bl.* 157. THUESSINK. *Geneesk. Waarnem. bl.* 31 *en* 164. MIGNON. *Obs. patrium solum spectantes p.* 7. *Verh. der Corr. Soc.* passim.

cujusmodi describit Goris, hujus morbi immunitatem sperare licet, qualia sunt argillacea Flandriae, Zeelandiae et Groningae litora et ex eadem materia agri hyeme inundationes pati soliti.

Ex disputatis igitur sequitur, literariam patriae medicinae historiam, quamvis imperfectam, illud probabile reddere, febres bilioso-putridas per constitutiones stationarias regnare; harum modo praesentiam, modo absentiam pro magna parte causam fuisse, cur per tria abhinc secula alio tempore de illarum febrium frequentia et malignitate querelae fuerint motae, alio minor vel et nulla de illis mentio fuerit facta, omninoque contingere posse, ut interiores etiam hujus regionis plagae febribus illis denuo vexentur: tametsi enim mutationes, quas nostratium victus passus est, minus graves, minusque frequentes epidemias, quam quidem olim regnavere, expectari sinant, illas tamen ad hanc regionem plane incolumem praestandam non valere, probat, ni fallor, diversorum modo memoratorum tractuum exemplum.

Epidemiarum ultimo loco citatorum symptomata non allegavi; ex inspectis autem fontibus pathognomonica adfuisse signa apparebit. Liceat tamen de methodo medendi verbum addere.

Paululum ante praecedentis seculi medium in his febribus venae sectionem suis militibus (Anglis) magis quam indigenis (Belgis), temperamento, diaeta, tum et aegrotatione multum ab illis diversis, necessariam esse, aiebat Pringle: (67) brevi post de Monchy etiam non aut raro venae sectionem admittebat et emeto — catharsin princeps remedium praedicabat. (68) Sic et recentioribus observatoribus V. S. fere culpatur, emeticum prorsus necessarium dicitur, denique cortex Peruvianus laudatur, quod ultimum non morbi mutationem sed praejudicatam opinionem victam, me judice, arguit.

Si hanc recentiorum cum illa antecedentium temporum medendi methodo comparamus, non parum certe discriminis comperimus: nequaquam tamen morbi indolem mutatam demonstrare id mihi videtur: venae sectionibus enim inter symptomata, qualia supra allata, a Foresto institutis album calculum adjicere omnino non possum: tum et parvae erant illae sanguinis missiones: Spigelius etiam hoc remedium laudabat, (69) nonnullorum tamen recentiorum fere ad modum et de sanguine in epidemia Leidensi a Fanoisio misso quid sentiendum, supra dixi. Accedit, quod nec omnibus antiquitus bene cessit illa medendi methodus, cujus rei exemplo est Gemmae testimonium, dum ab altera parte recentioribus etiam temporibus nonnulli, sive in universum, sive quod ad singulas epidemias attinet, illam laudarint et instituerint, quemadmodum, ne de Kloekhofio dicam, Elsacker in epidemia dicta Antverpiensi, (70) S. de Moraaz in epidemia, ipsi anno 1780 in Zeelandia observata. (71) Emetica a Foresto non fuisse data, partim minus tuto agentibus illius temporis medicamentis, partim praejudicatae opinioni, e nimio veterum studio natae, tribuendum est: monet quippe, emetica magis convenire in tertianis intermittentibus, quam in continuis: — et quod ad Corticem Peruv. attinet, quamvis de tempore in tempus egregius illius fuerit usus, tantum tamen abest, ut recentiori tempore absque conditione laudatus sit, ut varie etiam de hoc medicamento varii opinentur medici, et loci temporisque rationem omnino habeant illius defensores.

(67) *l. l. D.* II. *bl.* 67. (68) *Verh. der Haarl. maatsch. D.* VI. *st.* 1. *bl.* 107. (69) *l. l. p.* 83.
(70) *l. l. p.* 98. (71) *Verh. der Corr. Soc. D.* I. *Afd.* III. *bl.* 118.

DE DYSENTERIA.

Pauci sunt morbi, de quibus pauca tantum annotata inveniri magis doleo, quam de dysenteria, cum definita ipsius forma, tum et arcte circumscriptum, quo regnare solet, temporis spatium, illum accuratae delineationi et comparationi historicae aptissimum reddant: non tamen dysenteria, ut morbus specialis, tanti est momenti, sed nota illius cum febribus bilioso-putridis cognatio: salvo enim has febres inter et dysenteriam, tanquam morbos epidemicos, discrimine, cujus a van der Haar proditum notabile exemplum supra pag. 15 allegavi, et cujus causa forte impenetrabilis, demonstrare tamen videtur historia, loca et tempora, quorum coelum et vivendi genus febrium illarum ortum promovent, ea etiam dysenteriae procreandae favere, et vicissim.

Sin autem hoc verum, quae de illis febribus ex historia concluduntur, dysenteriae applicari posse illa, necesse est: dolendum vero, ad illam rem sive confirmandam sive negandam tam parum conferre historiam: pauca enim, quae de hoc morbo annotata inveniuntur, hic non sufficiunt, cum unum eundemque locum non spectent, id quod nullibi forte magis necessarium foret, cum ille morbus loci, quo regnat, vicinias saepissime non aggrediatur.

Prius tamen in hanc et illam annotationem inquiramus.

Magni sunt momenti, quae habet Forestus: „ Si videamus" inquit (72) „ multa adesse „ tormina in ventre, facile poterimus praedicere futuram dysenteriam, magis hyeme aquilonia „ praecedente, vere australi et aestate calidiore subsequente. (*Vere australi et pluvioso — dy-* „ *senteriae subsequuntur aestatis fine et autumno*)." Nil sane certi continet hoc enunciatum, attamen demonstrare mihi videtur, dysenteriam, minimis etiam quamvis epidemiis, ne sporadice dicam, Foresto non adeo fuisse raram, quam quidem hodie plerisque in Hollandia provinciae medicis. Tantum etiam abest, ut rara ipsius tempore fuerit illa, ut potius frequens dicenda: ne enim de epidemia anno 1573 mense Decembri Harlemi post obsidionem grassata (73) dicam, viginti quinque annorum spatio, si non plures, certe tres epidemias observavit Forestus: primam anno 1556 Alcmariae: alteram anno 1567 Delphis, tertiam anno 1580 hyeme itidem Delphis, (74) quibus accedit, quod primae epidemiae occasione sequentia annotet: (75) „ Morbus hic (*hujus* „ *vocabuli significatio non admodum manifesta*) frequentissimus est, imo vulgaris sae e, aestate „ et autumno maxime affligens, omni aetati eveniens."

Autumnales fere fuisse Foresti dysenterias, ex omnibus dictis elucet: illarum causam habebat perspirationem impeditam, (76) unde novam non esse hanc aetiologiam, patet: quod autem ad medendi methodum attinet, venae sectionem non plane respuebat ille, (77) plerumque tamen, praemissis debitis alvi evacuationibus, ad subadstringentia et anodyna confugiebat.

Pro-

(72) *B.* XXII. *obs.* 33. *Schol.* 19. 20. (73) *ibid. obs.* 38. (74) *ibid. et schol.* (75) *ibid. obs.* 32. (76) *ibid. schol.* (77) *ibid. obs.* 34 *schol.*

Proxima ab illis, de qua apertam mentionem factam inveni, in Hollandia epidemia anno 1624 regnavit: Beverovicius nempe breviter narrat, (78) dysenteriam, ut, *teste Foresto*, anno 1556, sic anno 1624, (cujus ver quasi canicula ardebat) totam Hollandiam fuisse pervagatam. Nullam inter annum 1556 et 1624 epidemiam monstrare potuisse primo intuitu videri posset Beverovicius: nec tamen hoc certum, cum pro auctoris vulgo noti et magni aestimati tantum allegatione haberi possint Beverovicii verba: accedit, quod utique seriores epidemias observaverit Forestus, quodque seculo decimo septimo ineunte dysenteriis epidemicis immune haud fuisse Belgium in universum sumtum, e Spigelii verbis pag. 10 citatis patere videatur: memoriae etiam proditum invenitur, brevi tantum post annum 1624, anno nempe 1627, Bredae epidemiam regnasse. (79)

Duas epidemias memorat Diemerbroeck: altera, ut videtur, anno 1635 Neomagi, (80) altera anno incerto Montforti regnavit, quo ipso tempore Ultrajecti etiam dysenteriam observavit ille (81). Quae de Montfortanae epidemiae causis habet, idcirco notatu maxime digna, cum ex iis pateat, quantopere hic morbus causarum nomine febribus bilioso-putridis affinis sit: „ Post hyemem „ intensissime frigidam" inquit „ mense Februario tempestas in tepidam mutata: duranti gelu „ cum nihil neque carnium neque piscium aliorumque eduliorum recentium adveheretur, vulgares „ toto illo tempore vescebantur carnibus et piscibus antiquis, salsis et fumo induratis caet. — „ (*unde*) tot passim dysenteriae excitatae sunt, non tamen alibi quam apud vulgares, qui tali „ diaeta usi fuerant, divites enim, qui liberalius vixerant, ab hoc morbo immunes erant."

Versus hujus seculi finem nonnullas Hollandiae plagas, nominatim Amstelodamum, aggressa est epidemia: in qua eos periisse, quibus Cathartica data erant, testatur Blancardus, (82) dum alibi adeo bene cesserit illa cura, ut eam non instituere Medioburgi *crimen capitale* esset. An haec epidemia eadem fuerit, ac illa, de qua, eam *ante aliquot annos* Amstelodamum invasisse, anno 1690 scripsit Blancardus, (83) mihi quidem incertum est, cum ulteriorem de illis epidemiis mentionem nullibi factam invenerim, eoque magis, cum nullam probabilem morbo adsignari potuisse causam hoc loco testetur Blancardus, illo vero inter alia acidorum usum accuset.

Notissima est epidemia dysenteria Neomagensis anni 1702 propter commemotationem in praeclaro Degneri opere (84) inveniendam. An idem hic annus Hollandiae proprie ita dictae hac in re exitiosus fuerit, ignoro: verum illud saltem constat, seculi decimi octavi initio Amstelodami et Harlemi saeviisse Dysenteriam: (85) quidquid sit, haec fortasse fuit illa epidemia, de qua, se per purgantia et dein narcotica *certo* curasse aegrotantes, narrat Boerhaavius, (86) qui aliam etiam citat recentiorem, in qua, ipso teste, omnibus remediis repugnabat morbus. Post ultimam hanc epidemiam, quam in Hollandia regnasse, probabile quidem est, at certo non constat, haec provincia dysenteriis epidemicis plane immunis non fuit, testantibus epidemia anni 1779 Enchusana (87) et annorum 1795 et 1796 in oris maritimis; (88) de aliis tamen apertam mentionem factam non ill-

(78) *Schat der ongesontheijt. D. I. p. m. 70.* (79) *VAN DER MYE. De officio medici praesidii. p. 9.*
(80) *Opp. T. II. Obs. et cur. p. 29.* (81) *ibid. p. 18.* (82) *Nieuw-ligt. Praktijk. p. m. 446.*
(83) *Het gasthuis der zieken. bl. 270.* (84) *De dys. quae a. 1736. grassata fuit. Prooem. p. V.*
(85) *TRIOEN. Waarnem. bl. 65. — GORIS. Verh. van de pestziekte. bl. 12.* (86) *Prax. med. P. I. p. 3.*
(87) *Genees-nat. enz. Jaarb. D. III. st. 2. bl. 14.* (88) *VAN DER HAAR. Mengelsch. D. II. bl. 131.*

inveni, unde rarissimam per integrum fere abhinc seculum in Hollandia fuisse dysenteriam epidemicam probabile fit, egregie mihi illud comprobante Doevereni sententia, quam in ipsius dictatis pro anno 1774 expressam inveni, in Hollandia nempe dysenteriam *numquam* epidemice regnare.

Aliae tamen provinciae dicto temporis intervallo illam expertae fuere. Anno 1736 Neomagum denuo aggressa est epidemia, Degneri descriptione clara. Bilioso-contagiosam illam dicebat et Ipecac. Rheum, tum et subadstringentia, opium vix, venae sectionem non commendabat. (89) Transisalanos etiam, Zwollenses (90) praecipue et Campenses (91) invaserat illa epidemia. Anno 1747 Zwollae iterum et in agro Velaviensi regnavit dysenteria. (92)

Circa annum 1779 epidemia sive potius epidemica hujus morbi constitutio, multis locis communis, incepit. Sic anno 1779 in Frisia et vicinis provinciis observabatur. Harlingae opium unicum fere remedium habebat Stinstra. (93) — Eodem tempore Dremptae in Gelria regnabat. Doct. Berns (94) inflammatorium illum nuncupabat: nec tamen illi V. S. placuit, at eo magis Cortex Peruv. — In provincia Ultrajectina bis tunc hic morbus regnavit, annis nempe 1780 et 1783: prima vice secundum Voltelenum (95) multum profuit Arnicae radex, utraque opium. Annis 1779 et 1783 multa Gelriae loca invasa, e notissimo Geunsii opere liquet: posteriore tantum anno vexatum fuit Neomagum: multum hic boni praestitere leniter purgantia, Cortex Peruv. et Pulvis Doveri. (96)

Post hanc constitutionem nulla, quantum novi, notabilis nostra in regione hujus morbi fuit epidemia: licet de tempore in tempus cum sporadice tum minori gradu epidemice hic et illic observatus fuerit. (97)

Utrum multum quidem, praeter citata, quod huic rei lucem afferre possit, inveniri queat, dubito: quam parum autem satisfaciunt illa: sic annotationibus satis accuratis e praecedenti seculo super Gelria et Transisalania e remotioribus temporibus, quae opponantur, nullas habemus praeter illam Diemerbroeckii: quamvis autem hujus rei causa verisimillime non in materiae sed in auctorem defectu quaerenda sit, nimis tamen vaga est haec considerantia, quam ut eâ aliqua conclusio nitatur; et si alicubi, certe hic nostri argumenti cernitur nuditas, dum paucae quaedem suffecturae fuissent annotationes.

Nec multa sunt, quae hac in re de Hollandia novimus: illa tamen, quamvis pauca, dysenteriae causas sive praedisponentes sive occasionales in illa provincia hodie, quam olim, minores arguere videntur, absque indubitata tamen exspectatione, illum morbum hoc illove tempore non rediturum, quod et de affinibus febribus bilioso-putridis dixi. Quod ad methodos medendi, in variis citatis epidemiis adhibitas, attinet, tanta illorum discrepantia, ut nil certi inde elici queat: nunquam fere tamen curam, partim etiam, absolvisse videtur methodus unice antiphlogistica.

(89) *l. l. p.* 267. (90) *VAN GEUNS. De heerschende persloop. bl.* 60. (91) *VALK. l. l.*
(92) *VAN GEUNS. l. l.* (93) *Verh. der Corr. soc. D.* I. *Afd.* II. *b. bl.* 930. (94) *ibid. bl.* 344—358.
(95) *Pharmacol.* T. II. *p.* 222 *et* T. III. *p.* 64. (96) *KRAIJENHOFF. Consp. dysent. Neomag. a.* 1783.
(97) *Conf. THUESSINK. Over de Voorbeh. van den persloop. Voorber. en bl. 7. — NUMAN. Prijsverh.*

DIS-

DE SYNOCHO.

Videamus jam de febrium specie, quae non aeque ac bilioso-putridae huic regioni propriae sunt, minus etiam epidemice occurrunt, optime tamen Belgarum temperamento explicantur, et, sporadice praesertim, medico multùm saepe negotii facessunt: *de specie* inquam, non facile enim synochus putris ab imputri separatur.

Maxima apud antiquiores imprimis scriptores existit febris putridae ideae confusio: hujus autem praecipua causa non in opinione de verâ putredine, quae, si eo sensu, quo valet, sumatur, in veteribus auctoribus legendis, non ita multum obstat, quaerenda est, sed in putridi characteris cum inflammatorio permutatione, tum et in posita utriusque affinitate: id quod nos, certa quadam ratione illos tanquam extrema sibi contraria considerare solitos, ut ita dicam, offendit.

Putredinis ita dictae in febribus signa variis locis eo enumerat modo Forestus, qui satis bene cum hodiernorum sententia congruit: alibi certe in verae putredinis ideam nonnihil proclivior est, verum, ut modo dixi, hoc non magnopere obstat, cujus rei luculentissimum loca infra citata praebent testimonium (98). Eo igitur modo de febre putrida loquentibus Foresto aliisque ipsius aequalibus medicis, illorum etiam medendi methodum cum hodiernâ convenisse, suspicari licuisset: unde tamen fit, illos iis in casibus modo nobis incomprehensibili venam secasse? Ab eo inde tempore morborum indolem adeo fuisse mutatam, ut febribus ita dicta putredine stipatis tunc temporis plerumque venae sectione opus fuerit, dum hodie peculiare tantum quid et urgens ad illam instituendam nos inducat, omni scientiae medicae repugnat: nihil igitur superest, nisi quod alius etiam indolis febribus putridarum nomen impositum fuisse, assumamus.

Quo lucidius autem haec res aliaeque ad hanc argumenti partem facientes exponantur, ordine progrediendum: primo itaque videamus, quid de Ephemeris et Synochis imputribus sibi obviis, illarumque curâ senserit Forestus.

In Ephemera simplici primo semper loco Eccoproticum propinabat, ne in putridam transiret febris: (99) (in unico casu feb is viginti quatuor horarum jam putrida dicitur (1)): praecipue illum metuebat transitum, *quando meatus cutis condensati erant* (2) — *id quod a frigore efficitur* (3) — *et quando illi meatus tunc non aperiebantur*: cum autem Ephemeram plurium dierum sive Synochum imputrem non indole, sed dierum tantum numero ab Ephemera simplici differre censeret, (4) hinc jam liquet, non solum saburram, verum etiam suppressam perspirationem magnam cum Ephemerae simplicis et Synochi imputris, tum Synochi putris causam habuisse Forestum.

(98) L. I. *obs.* 14. *schol. et obs.* 15 *schol.* (99) L. I. *obs.* 3. 6. 8. 9. (1) L. I. *obs.* 10. (2) L. I. *obs.* 3. *schol.* (3) L. I. *obs.* 8. *schol.* (4) L. I. *obs.* 9. *schol.*

Proinde et in Synocho imputri pro rè nata Eccoprotica dabat aut Diapnoïca, addita, ubi necesse illam judicaret, venae sectione; et quamvis in uno casu (5) illud factum dicatur, ne in pleuritidem incideret aeger, plerumque putridae febris metus causa erat: alicubi, et maximo cum jure, animadvertit Forestus, (6) juniores corpulentos et succulentos, tum etiam laute et molliter viventes in Synochum imputrim proclives esse. Ex his sequitur in Synocho imputri venae sectionem ut plurimum utilem censere debuisse Forestum, (7) sive tanquam remedium curativum, sive tanquam prophylacticum contra febrim putridam.

Inter quatuor Synochi imputris casus apud Forestum exstantes (8) unus juvenem spectat: inter sanguinem mittendum, inquit auctor, hic putridus apparuit: cum autem de sanguine ita dicto putrido satis recte illum judicasse, supra viderimus, suspicari nobis licuisset, illum hoc in casu vidisse sanguinem illi nomini respondentem, adeoque nequaquam hic Synochum assumere imputrem: nec tamen fuit nisi haec febris; quarto enim die levior fuit ardor et septimo cura plane absoluta: cum autem medicamento etiam a Foresto, cum inter sanguinem mittendum putridum illum observaret, propinati, acidorum nempe, utilitas dupliciter explicari possit, oritur quaestio, an putridi sanguinis nomine non potius inflammatorius significatus hic fuerit: id quod maxime probabile fit, nobiscum reputatis medicorum vulgo tunc receptis opinionibus.

Secundum Dodonaei, Foresti aequalis, divisionem, (9) ut hac utar, febres putridae vel symptomaticae sunt, vel per se consistunt: harum quaedam continuae sunt, quaedam intermittentes; illae inflammationes sequuntur et Erysipelata: posterius, me judice, explicari nequit, nisi accipiendo, putridam febrim hic inflammatoriam significare: quod et eo confirmatur, quod Dodonaeus antiquiorum instar medicorum triplicem assumat februm: in spiritibus *Ephemeram;* — in humoribus *Putridam:* — in solidis *Hecticam*: cum autem sanguinis in febre inflammatoria missi crusta phlogistica humorum febrim indicare videretur, ad putridas haec referenda fuit: apud Forestum (10) etiam intermittentes putridas dictas invenimus, quae inflammatoriarum potius nomen meruissent, e quo et e supra dictis eodem, quo Dodonaeus, sensu *febrim putridam* aliquando accepisse Forestum, liquet.

Examinemus jam, quos habet Forestus, Synochi *putris* casus. I. 14. Post septem dies sanata. S. M. ad libram unam. Eccoprotica et antiphlogistica. — 15. Fere ut praecedens. Sanguinis missi quantitas haud annotata. — 16. Synochus putris lethalis cum pleuritide et pulmonia. *Propter has die sexto paucus sanguis putridus detractus fuit.* — 17. Facies inflata rubea, pulsus maximus, vehemens et celer. S. M. ad uncias sex. Secuti morbilli cum angina. — 18. Urina rubra. Pulsus magnus. S. M. ad libram unam. Acidiuscula et eccoprotica. — 19. Puellae epistaxi enormi sanatae. — 20. Post S. M. fluore mensium solutae febris. 20 *Schol.* De hoc casu pluribus infra. — 21. Pueri septem annorum, sanguine non misso, mortui. — 22. Juvenis robusti, post S. M. septimo die epistaxi sanati.

Nisi febris putridae nomine plane aliquando contrarii quid significasse Forestum, modo vidissemus, num in legendis quidem his observationibus ipsi nostris oculis fisuri essemus? Quae quaeso erant illae febres praecipue casuum 14. 15. 18. 19. 20 et 22? Illisne ex antiqua nomenclaturâ ali-

(5) L. I. *obs.* 10. (6) L. I. *obs.* 11. *schol.* (7) Conf. L. I. *obs.* 8. *schol. obs.* 10. 11. *schol. obs.* 14 *et* 19.
(8) L. I. *obs.* 10—13. (9) *Prax. art. med. p.* 1. *sqq.* (10) L. III. *obs.* 1. *et* 8. *schol.*

aliud quidem quam *Synochorum imputrium* aut *Ephemerarum plurium dierum* nomen imponi potest? quod si jam cum his casum 13um supra citatum comparamus, nonne convictos nos esse oportet, sanguinem putridum ibi dictum revera phlogisticum fuisse: qua autem ratione haec quadrant ad Foresti sanguinis putridi descriptionem, sive e se ipse, sive e Fernelio, sive ex alio quodam auctore illam hauserit?

Mittamus vero perversam hanc nomenclaturam et oculos convertamus in magni hic momenti observationem I. 20 *Schol.* Femina corpulenta, sanguinea, vino indulgens, in febrim plus minus sthenicam, quamvis non Synocham, labitur: accommodata negligitur cura, nec ante diem octavum vena secatur: at tarde; dejectione virium aegra moritur. Hic igitur casus est, quales et hodie saepe occurrunt: necessaria antiphlogistica methodo initio neglecta, non impugnata nimia irritatio in corpore succis magis quam elasticitate praedito cito in astheniam indirectam transit, et febris, quae antiphlogisticam poposcerat curam, in sui contrarium abit, pro re nata in febrim putridam, nervosam aut statum typhosum: si ejusmodi morbi initio, illum talem decursum habiturum esse, praevideri semper posset, illi *toti* Synochi putris nomen recte imponeretur: illud vero praevideri non potest; saepissime intra benignitatis terminos continetur et astheniae stadium non apparet: hoc autem etiam in casu morbo Synochi putris nomen impertit Forestus, ut ex allatis exemplis patet. Contradictioni igitur, quacum de sanguine putrido loquitur, hoc etiam accedit, nos tempus ignorare, quo Synochum imputrem in veram Synochum putrem transire existimaverit, ita ut nec hoc respectu bene determinari possit, an hac in re methodum antiphlogisticam nimium extenderit Forestus.

Eadem quoque Dodonaeum premit incertitudo: ex illius systemate, ut vidimus, confici potest, illum febrem inflammatoriam ad putridas retulisse: hoc tamen non excludit, illum non etiam febri putridae, ita a nobis dictae, eundem designasse locum, cum utraque *humorum* sit *febris:* qui vero igitur fit, quod absque discernendo venae sectionem primum in febre putrida indicatum praedicaverit? (11)

Meliorem tamen distinctionem alicubi habet Forestus, utrum ipsi in actionem ductam, incertum. Rondeletius dixerat, idque citat Forestus, (12) venae sectionem, quam et in Synocho imputri et in putri instituendam esse jusserat Galenus, jam pridem in priore coepisse esse suspectam, adeoque prudenter hic agendum esse: — „ Sed hic considerandum" inquit Forestus „ Synochum esse aut pestilentem aut secus, in priore S. M. perniciosa." De vera peste sermonem hic non esse, e contextu patet; valde quoque indefinitum tunc erat vocabulum *pestilens:* quid igitur hic sibi vult istud *Synochus putris pestilens?* Significanturne hac voce ejusmodi febres, quae absque praegresso aliquo stadio sthenico, sive id revera ita sese habeat, sive brevitate sua medici acumen effugiat, asthenicae febris putridae faciem statim prae se ferunt? Fieri potest: dolendum tantum, apud Forestum nil de ejusmodi febre memoratum inveniri, id quod illius medendi methodo palam faciendae egregie inserviisset: — nihil itaque restat, nisi ut de illa aliis judicemus febrium casibus, quibus, quamvis non Synochis, etiam *malignorum* et *quasi pestilentialium* febrium nomen imposuit.

Hu-

(11) *l. l. p. m. 9.* (12) *l. I. ob. 18. schol.*

Hujusmodi vero non alii, quantum novi, apud Forestum exstant casus, quam quinque illi e genere febrium bilioso-putridarum, quos supra pag. 9 allegavi, et ad quos lectorem relego: cum autem in iis casibus justo, ut videtur, saepius venam secaverit Forestus, nonne in verae Synochi putris sive typhi putridae casibus de eadem re illum accusandum fuisse, supponere nobis licet?

Antequam e dictis concludamus, videamus, quid ille, qui paulo ante Forestum, unus omnium Belgii, Europae forte, medicorum optimus fuit, quique ipse *de febribus continuis* scripsit, Lommium dico, de illis senserit.

Febrium continuarum nomine, nomenclatura vulgo recepta usum, synochos tantum imputres et putres hic significasse Lommium, ex eo patet, quod de semitertianis vel intermittentibus confluentibus prorsus nihil dicto operi insit: accedit, quod alicubi de febre continua dicit, (13) illam, ut maximus per se est morbus, ita fere propriam haberi adolescentium atque juvenum.

Si jam, aliis, quae peculiaribus tantum harum febrium symptomatibus opponebat Lommius, missis, praecipui remedii, sanguinis nempe missionis, rationem habeamus, apud illum sequentia invenimus. Morbi initio sanguinem non mittere, illi exceptio erat, mittere regula: maxime vero reprehendit medicos, (14) qui, etsi initio semel recte sanguinem misissent, symptomatum saevitiâ territi, iterum secare venam tunc incipiunt, *octavo* vel *nono* vel *decimo* die, ne de serioribus etiam venae sectionibus dicam. Quamnam autem, sanguinis missione initio neglecta, Lommius ipse ingressus est viam? Statuebat in febribus intermittentibus et in Synocho imputri die sexto, septimo aut octavo etiam venam secari posse, non item in Synocho putri: quando Synochus, qui per quatuor dies imputris fuit, illius evacuationis omissione in putrem transit, *quarto* etiam post hunc transitum die, id est *octavo* morbi die sanguinem posse mitti, post illud vero tempus numquam tuto id fieri, cum propter impeditam eo coctionem, tum propter vires, quae illo tempore pro symptomatum vehementia minores fiunt. (15)

Absurdum hoc systema dici nequit: quis enim rei naturae inesse *posse* neget, quod si synochus imputris in putrem transeat, illud non quinto definite die accidere debeat, quodque non quatuor etiam priores novi morbi dies sanguinis missionem permittant? absurda haec non sunt: si vero nobiscum reputamus, quam rarus hac in regione habendus sit regularis ejusmodi decursus, cum tali rei se obliget medicorum nullus, fuerit hoc tantum, quoniam variae res accedentes, primarum praesertim impuritas viarum, hac in re perturbanda tantas agunt partes, et si porro perpendamus, ultimam hanc causam Lommii tempore haud minorem fuisse, dum praeterea suam hic auctor doctrinam exemplis non probet, sed potissimum e Galeno et Celso hauserit, num probabile quidem, adeo regulares illius tempore dictas fuisse febres? et nonne ipsius doctrinam, quae in Synocho, tertio etiam vel quarto die, postquam in statum vere putridum transierit, sanguinis missionem concedit, nimiae etiam medicorum graecorum auctoritati tribuere nobis licet?

Universalem vero tantum hujus doctrinae accommodationem haec spectant: Lommium saepe tunc etiam, quando *imputris* nomen amplius non merebatur febris, bono cum successu venam secasse non nego, partim, quia et hodie in morbi phlogistici aut subphlogistici casu, ubi V. S. ne-

(13) *De cur. febr. cont.* p. 4. (14) *ibid* p. 59. (15) *ibid* p. 64—66.

neglecta est, haec saepe supra exspectationem etiam juvat, quando multa putredinis ita dictae signa sanguis missus monstrat, partim quia nostra etiam aetate eandem fere viam, quam in febribus continuis curandis ingressus est Lommius, nonnumquam calcatam vidimus.

Quae hic volo, sunt ea, quae de una pluribusve illarum febrium epidemiis a se observatis palam fecit Cl. Kluyskens. — Illa, in medicis nostris literis sui generis fere unica, cum Lommii verbis comparare, plures unâ ob causas magni est momenti.

Nulla mihi est dubitatio, quin eandem febrium speciem uterque observaverit. „ Creber" inquit Lommius (16) „ (*febris continuae*) est ac ferme popularis per aestatem insultus" (Hodie etiam nostratibus idem hoc saepe accedit, quamvis non pari singulis aestatibus gradu). Cl. Kluyskens revera epidemiam anno 1817 in Flandria orientali grassatam describit et addit, sex aut octo annos ante ibi loci itidem plus minus regnasse similem febrim, *inflammatoriae typhoïdeae* nomen illi imponens. Aliquatenus excusari potest haec denominatio, cum prius talium febrium stadium inflammatorium appellare vulgo receptum sit: videamus tamen, quid de illo observaverit Cl. Kluyskens. „ Violentis" inquit (17) „ capitis, pectoris aliarumve partium doloribus anguntur hi: „ artuum inferiorum doloribus et lassitudine illi. Nonnumquam variae partes simul dolore affici- „ untur *cum maxime manifestis status inflammatorii signis.*" — „ Pulsus tamen frequentia et „ tensio dolori capitis aliarumque congestionum inflammatoriarum non semper consona: multo „ majores nonnumquam hae sunt, quam indicare videtur pulsus" et „ Sanguinem missum non „ semper crusta inflammatoria obtegit: si obtegit, alio tempore coloris est sordide albi, rosei „ aut viridescentis coloris alio: placenta crassior est, minus sero circumfusa. Urina limpida „ et copiosa, *per totum status inflammatorii tempus.*" (18)

Singularis itaque profecto indolis inflammatorius hic fuit status: quod ad sanguinis habitus descriptionem attinet, quam bene quadrare videri possent illa in ea, quae de sanguine putrido in Synochis suis putridis narrat Forestus, modo constaret, illum etiam sanguinem hunc pseudo-inflammatorium a vere inflamatorio discrevisse: quidquid sit, hoc constat, antiquioribus scriptoribus hanc febrim nullibi Synocham, Causum aut febrim ardentem nuncupatam inveniri. — Lommius, ut vidimus, febrim suam continuam adolescentium et juvenum fere propriam dicit: de aetate confirmata, de corporibus magis elasticis at minus plethoricis non loquitur. Cl. Kluyskens dicit, (19) suam febrim debiles potius quam alios invadere homines: quam vero debiles, illius methodus medendi monstrat. Princeps enim illi remedium erat V. S. generalis, pro re nata ter quaterve repetita: quam egregie debiles etiam constitutiones magnas hasce sanguinis evacuationes ferrent, cum admiratione saepe videbat: numquam inde pravae sequelae aut morbus in febrim nervosam mutatus: quam audacter autem illam persecutus sit viam auctor, ex eo liquet, quod in cerebri congestionibus sanguinis uncias decem ad duodecim ex arteria miserit. (20) Lommius etiam pectoris capitisque statum ob oculos rite habebat, et sicuti recentiores de Typho auctores, pannos humidos actu frigidos, fronti applicatos, commendat. (21)

Quod ad transitum in stadium asthenicum attinet, in tempore, quo ille locum habuerit, de-

(16) *l. l. Dedic. p. 6.* (17) *Mem. sur la fièvre inflammatoire typhoïde etc. p. 6.* (18) *ibid. p. 7 et 11.* (19) *ibid. p. 9.* (20) *ibid. p. 15 et 19.* (21) *l. l. p. 164—167.*

determinando, certa quadam ratione cum Lommio tantum congruit Cl. Kluyskens, quantum ad Graecorum exempla conformatam Lommii nosographiam, et quam parum in casibus nobis sporadice obviis definitum sit illud tempus, perpendentibus, exspectare nobis nondum licuisset: dum enim, ut vidimus, Lommius statuat, in Synocho putri, quae ad quartum diem usque imputris fuerat, octavo etiam die sanguinem posse mitti, Cl. Kluyskens transitum in statum typhosum a quinto plerumque morbi die ad nonum usque accidere censet, intra quod imprimis temporis intervallum epistaxes locum habere illi dicuntur, quae caput allevant. (22) Quis est, qui juxta discrimen non aliquid hic cernat convenientiae?

De duplicis stadii asthenici modi altero, de statu nempe putrido uterque loquitur, non vero de illius summo gradu: sic de haemorrhagiis, pessimae indolis febres putridas nonnumquam comitantibus, ut haematuria et fluxu ventris sanguineo a neutro mentio fit: nec etiam petechias aut vibices memorant: — quod ad alterum modum, statum nempe nervosum, attinet, satis nos monet nomen a Cl. Kluyskens suae febri datum, dum Lommius de singultu, cephalalgia, vigilia, delirio, sopore et animi deliquio loquatur, quibus V. S. amplius non opponenda. (23)

Ex hisce sibi invicem oppositis apparet, Synochum imputrem in putrem mutatum sive febrim inflammatoriam typhoïdeam tam hodie quam ante tria fere secula epidemice aliquando hic regnare: hodie certe non admodum frequentes sunt ejusmodi epidemiae, minus saltem manifestae quam aliorum quorumdam morborum; an tamen pristinis illis temporibus aliter fuerit, dubitare licet: Lommius enim quidem dicit, hujus morbi *ferme* popularem per aestatem esse insultum, nullam tamen epidemiam citat, nec etiam Forestus nec alius quispiam aequalis auctor, quantum novi, ejusmodi quid memorat.

Liquet inde porro, hodie etiam in hoc morbo cum fructu adhibitam fuisse methodum medendi magis antiphlogisticam, quam quae e Lommii verbis confici potest: verum etsi nobis persuasum sit, Cl. Kluyskensii methodum medendi ita cessisse, ut qua melius nulla, ideone in universum commendanda? equidem dubito: qualecunque autem hac de re fuerit judicium, idem et hanc et Lommii agendi rationem tangit, nam et hujus febres grassantes erant: quae etiam causa, Lommii methodum in omnibus ejus temporis synochi putris casibus aptam ducendi, Kluyskensii vero exceptitiam habendi? hac igitur ratione inter nostri et pristini illius temporis Synochos putres discrimen demonstrari nequit. Quod mihi meam opinionem, has febres Lommii tempore haud *universe* methodo tam strenue antiphlogistica indiguisse confirmat, Eugaleni, Lommii tantum non aequalis, est testimonium. „ Febres continuas" inquit (24) „ eadem facultate hic „ morbus (*scorbutus*) exprimit et mentitur atque intermittentes." Quorum omne verborum momentum sentitur, in memoriam revocatis aliis iis, quae supra intermittentium febrium occasione citavi. Porro: „ A veterum putridis et continuis hae nostrae differunt, quod mores plerumque „ in his mitiores et inquietudo et sitis minor. Pulsus comparatus ad illas parvus et inaequalis." Animadvertendum, Eugalenum debilem, quam in omnibus fere morbis observabat, genium scorbuti imperio adscribere solitum fuisse.

Lommii medendi methodum non in omnibus tunc temporis sporadice obviis casibus plausibilem fuisse, aliquantum forte et inde confirmari censeri potest, quod, dum ne unum quidem sui

(22) *l. l. p.* 11. (23) *l. l. p.* 162. *sqq.* (24) *l. l. p. m.* 70.

sui morbi exemplum alleget ille, unumque tantum Synochi imputris in asthenicam mutatae casum memoret Forestus, quod, inquam, ipse hic casus Lommii doctrinam refutare videatur: supra allatum ex I. 20. *schol.* volo, in quo V. S. initio neglecta, *octavo* fiebat die, absque servato tamen aegro.

Ex omnibus disputatis sequitur. 1°. Frequentem febris putridae apud antiquiores auctores mentionem proprie nihil demonstrare. 2°. Synochos imputres et putres, quemadmodum hodie catarrhales febres saepe vocantur, symptomatum minus quam causae occasionalis gratiâ, ita antiquiores etiam nostros auctores illam causam optime habuisse perspectam: sic jam vidimus, Forestum perspirationem frigore suppressam inter Ephemerae, Synochi imputris et putris causas habuisse: solertissimus etiam van der Mye, ut de aliis taceam, eidem causae sanguinis putredinem tribuit. 3°. Synochos olim non magis quam hodie epidemice regnasse videri. 4°. Pristinis illis temporibus venae sectionem in his febribus magis universe et laudatam et adhibitam fuisse, quam hodie: nonne autem olim largius adhibitum fuit illud remedium, hodie vero parcius? prius pro certo habeo ob causas saepe jam memoratas, in posterius inclino: fateor, primum Synochorum putrium (non malignarum) stadium antiphlogistice curandi utilitas ultimis temporibus iterum perspici coepta est, num vero ad hunc scopum satis quidem adhibetur princeps remedium? Multum profecto abest, ut hujus regionis medici Lommii sequantur regulam, neminem unquam sanguinis missionem sine evidenti periculo in *acuta* febre praeteriisse: (25) quis autem, non etiam nos ad hanc regulam, vitae vigori, ut Lommius vult, applicitam, nos conformare opportere, contenderit? Cum recentioribus autem temporibus, a Brownio praesertim inde, (ultimis annis exceptis) medendi methodus in universum antiphlogistica non fuerit, simul autem de Synochis nostris tam facile in typhos mutatis querelae sint auditae, quaenam seculo decimo sexto, medendi methodo plane contrariâ, hujus rei fuit ratio? Ad respondendum exempla deficiunt, verum et tunc e Synochis saepissime typhos factas fuisse, e Lommii testimonio, manifesto, me judice, apparet, dicentis, plurimos mortales medio flore aetatis tollere hanc febrim, quam tamen infaustum eventum plerumque non in primum febris stadium cecedisse, ob strenue antiphlogisticam illorum temporum medendi methodum maxime probabile fit: pauci certe, quos apud Forestum Synochorum imputrium in putres mutatarum invenias casus, contrarium monere videri potuerint, hoc vero argumentum *negativum* tam parvi est momenti, ut quo minoris nullum: quomodo etiam, re aliter sese habente, illi sufficisset dicere, nonnullas esse febres salutares, in pueris, quoniam succi pravi, quibus hi plurimum abundant, per illorum ortum evacuantur, (26) et quam ob causam illis nec Synochos imputres, notas illas febres *depuratorias*, annumerasset aliam nisi quod eas frequentius in typhos mutatas viderit.

Quod autem seculo decimo sexto Synochi imputres, venae sectione quamvis non neglecta, persaepe typhosae factae sint, ex eo explicandum videtur, quod illo tempore medicorum vulgus, quin et clarissimi fere omnes illa medendi methodo abusi sint: id quod, me judice, e supra dictis maxime probabile fit: quod hac in regione divertissimis medendi sub methodis dictum exitum habuerint et etiam nunc habeant Synochi, illius rei causa praecipue etiam in morbi ipsius cons-

(25) *l. l. p. m.* 5. (26) L. VI. *obs.* 41. *schol.*

corporumque, quae invadere amat, indifferenti, ut ita dicam, charactere quaerenda videtur, qui ab una quidem parte efficit, ut aegri non per maxime contrarias medendi methodos, verum sub iis serventur, ab alte â vero parte, ut sub iisdem conditionibus, quacumque demum de causâ, pereant; idemque hoc de aliis etiam morbis nostrates aggressis animadverti posse, infra videbimus.

Ut autem in variorum seculi decimi sexti medicorum Synochos curandi ratione magnum animadvertimus discrimen, cum ex illis clarissimus fere quisque antiphlogistica methodo aliquantum abusus fuerit, Eugalenus contra, absque omissa venae sectione in universum tamen stimulando magis ageret, dum medicorum vulgo exprobaret Lommius, quod adeo imprudenter sanguinem tum et alia evacuarent, quasi aegrotis cum morbo vires simul et vitam adimere vellent, (27) utque haec, alliis etiam causis juncta, illius aevi Synochorum indolis cognitionem valde difficilem reddunt, sic seculo decimo septimo eaedem fere obscuritates occurrunt.

Hic Zacutum (28) invenimus, qui Synochum putrem vehementia tantum ab imputri differre censet, concomitantibus tamen signis, quae putredinem manifeste significant, et inter causas humorum motus privationem recenset, id quod parum in Synocham quadrat, dum tamen, quod ad symptomata attinet, Synochum putrem fere ut Synocham depingat, revera etiam, quamvis distinguens, febrim ardentem exquisitam febribus putridis annumeret; (29) illic Craanenum, (30) qui omnes febres esse putridas docebat, dum alibi Dinghenius (31) in sua Pyretologia de febribus putridis tantum non sileat: — quod ad curam, eadem confusio: Zacutus ad *Synochi putris* curationem in universum commendat venae sectionem ad animi defectum, quam methodum Galenicam non tantum assentitur N. Fontanus, verum et addit: „ Virtute praesente: et a me non semel, „ sed ter quaterve in basilica:" (32) cujusmodi methodus tunc temporis vulgo videtur fuisse recepta: A. de Heide vero, quamvis venae sectionem opportuno tempore factam non contemnens, statuebat, (33) *methodum medicorum vulgo familiarem ad profligandas febres parum saepe contribuisse*, collegisque suis persuadere studebat, *calida febribus non semper esse nocua*, dum brevi post doctrinam suam exponeret Sylvius, et Craanen etiam ideo tantum citatam febrium theoríam finxisse videatur, ut eo facilius sylvianam medendi methodum in usum duceret, cujus tandem, versus illius nempe seculi finem tantus factus est abusus, ut N. Heinsius, post declamationem contra doctrinam de temperamentis, dicere non vereretur: „ Hinc noxia julapia in febribus „ acutis, hinc lanceolae perniciosae et exinanientes alvi ductiones. (34)

Ex omnibus his opionibus et commemorationibus, mangnam partem sibi invicem contrariis ortam confusionem et difficultates explanare non conabor: ex iis tamen, nisi fallor, sublucet, majorum corporis constitutionum aeque ac nostratium hodiernorum medicis in Synochis curandis aliquam praebuisse latitudinem, ita ut servati saepe sint aegri, etsi cum antiphlogistica tum stimulans methodus praepostero tempore adhibita fuerit, id quod de hoc maxime genus febribus expectare nobis licuerit, quae, ut pervulgatum, toties sanantur, quando totam alma natura sibi suscipit curam.

Nec

(28) *Opp.* T. II. *p.* 580. (29) *Opp.* T. I. *p.* 651. (30) *Tract. de homine. p.* 226. *et* 295.
(31) *Fund. phys. med. Tract. de febr. p.* 10. (32) *Dodonaei Prax, cum annot. N. Fontani. p. m.* 15.
(33) *l. l. p. m.* 63. (34) *Verh. van het Podagra. bl.* 67.

Nec parum indifferentem hac in regione dictarum febrium indolem probare mihi videntur Boerhaavii et Swieteni, quod ad tempus attinet, in medio quasi constitutorum, medendi methodi: quorum prior in Synocho imputri largam commendabat venae sectionem, in putri non plane respuebat, sed haud universe adhibendam ducebat: (35) posterior de recta curandi ratione valde, ut videtur, ambigebat: multis nempe in operum locis de febrium distinctionibus veteribus tritis loquitur, ubi autem sibi propriam expromit experientiam, v. c. in Const. Epid. Lugd., quarum hic tam egregius futurus fuisset usus, diversas fere non memorat febrium species, si intermittentes et hic illic Synochum putridam (quam autem indefinitum hoc sit, novimus) excipiamus. Omnes alias febres nuncupat *acutas*, sive vere, sive aestate, sive autumno obvias factas, et quibuscunque demum stipatas symptomatibus Saepe a venae sectione curam inchoat; verum tot invenias sanatos absque ea aegros, quot, illa facta, mortuos: id quod et a Swieteno observatarum febrium indolem in universum indifferentem arguere videtur.

DISQUISITIO V.

DE CATARRHO, FEBRE CATARRHALI ET RHEUMATISMO.

Adeo invaluit, morbos catarrhales recentioribus temporibus hac in regione valde fuisse auctos, opinio, ut vitio forte mihi non verteretur, si illud tanquam certum proponerem, praesertim cum id a claro quodam medico demonstratum censeatur: attentione tamen dignum, quod non adeo saepe, ac quidem nonnullis retro annis mos erat, de febribus catarrhalibus loquatur maxima medicorum pars, id quod profecto verae imminutioni tribuerit nullus.

Est aliquid, quod in hoc argumento probe semper animadvertendum, differentia nempe inter febres manifeste catarrhalibus iis symptomatibus stipatas, quae *Catarrhi* caet. titulo comprehenderunt veteres, qui igitur morbi catarrhum producentes causas habent, et inter illas febres, quae perparum tantum, aut et obscurissime catarrhalia monstrant symptomata, dum tamen e maxime probabili hypothesi a causis catarrhalibus, ut ita dicam, originem ducant. Probe est animadvertenda, inquam, illa differentia; nam, etsi nomen febris catarrhalis recentioribus temporibus non sit inventum, illud tamen apud antiquiores auctores non saepe, apud nonnullos etiam omnino non occurrit: *Catarrhum* vero, veterum significatione sumtum, apud antiquiores et recentiores om-

(35) *Aphor. p. m.* 161. *sqq. et Prax. med.* P. III. *p.* 592. *sq.*

omnibus suis formis invenimus: si itaque demonstrari posset, verum catarrhum olim aeque familiarem fuisse ac hodie, idem illud de febribus catarrhalibus statuendum foret: haec autem est causa, cur, de utroque simul agens, praecipue tamen in priorem, posteriorum normam, cogitatione me convertam: nec animus est, de multis illis febribus, quibus recentiori tempore *catarrhalium* nomen fuit impositum, late disserere: multa certe militant pro opinione, febres pseudobiliosas, pituitosas, ephemeras, Synochos imputres, febres putridas et nervosas e praecedentibus illis ortas, nonnullas typhi species caet., omnes saepe, si non plerumque, perspirationem suppressam causam agnoscere, et eatenus symptomata vere catarrhalia illas febres concomitantia nemo miratus erit; hinc tamen illa semper exspectare non licet; ab una enim parte non necessario semper a perspiratione suppressa ortum ducunt illae febres, et ab altera parte, si in corpus sanum et purum semper caderet illa suppressio, in omnibus ejusmodi casibus symptomata catarrhalia exspectare licuerit, cadit vero ut plurimum in corpus impurum aut alia ex causa morbidum, et symptomata, quae causam occasionalem manifesto declarant, illorum, quae causae praedisponenti aut et morbi *complicationi* ortum debent, vehementia valde obscurantur, quin et penitus oculos fugiunt.

De vere catarrhalibus igitur tantum febribus, iis nempe, quas catarrhus, coryza, branchus caet. comitantur, acturus sum, ut ex his ad alias illas magis obscuras ipse concludat, lectori relinquens.

Foresti opera manifestissima praebent indicia, catarrhum inter morbis fuisse, quos frequentissime observabat: universa, qua de illo loquitur, ratio, id testatur: sic *destillationem quam plurimorum morborum procreatricem* dicit, nec illos increpat, qui illam *omnium morborum matrem* dicebant. (36) Illo etiam jam tempore undelibet conquisitas fuisse minoris etiam momenti causas, quibus catarrhorum explicari posset frequentia, ex Foresti patet consilio diaetetico, de non bibendo inter prandium et coenam: peculiarem etiam vini speciem contra catarrhum commendat. (37) „ Dolor capitis ab humida intemperatura" alicubi inquit „ non poterit diu persistere, quin catar„ rhum adjunctum habeat: ad dolorem statim accurrit materia, nisi corpus exquisite purum, „ nullaque plenitudine aut cacochymia laborans: si hoc obtingit, ad tempus persistit dolor sine „ affluxu materiae, quod rarius Batavis et Germanis contingit, qui facile in victu peccant." (38) Optime etiam catarrhales primarum viarum affectiones perspexerat Forestus, ut sequentia testantur. „ At si (*ventriculo pituita referto*) pituita a capite descendat (et est casus, qui crebro „ evenit, Florentiae praesertim, ut asserebat Jacchinus, magis tamen apud nos Batavos et Hol„ landos, ratione regionis) ipsi providere oportet, postquam venter melius habuerit." (39)

De hac etiam imprimis regione locutum fuisse J. Heurnium, ubi catarrhum *multorum morborum parentem*, ut et *omnium morborum uberrimum fontem* dicit, (40) maxime probabile est: majoris tamen momenti est directum, antiquioris etiam auctoris, Levinii nempe Lemnii, Zeelandi, testimonium: „ Catarrhum" inquit (41) „ hibernis mensibus in Belgica summi pariter atque infimi „ experiuntur quorum nemo non" et alibi, (42) „ Apud Belgas maritimos, quoniam multae civi-

„ ta-

(36) L. X. *obs.* 128. *schol.* 4. (37) L. X. *obs.* 129. (38) L. IX. *obs.* 9. *schol.*
(39) L. XVIII. *obs.* 3. *schol.* II. (40) *Opp. p.* 452. *sq.* (41) *De habitu et constit. corp. p.* 104.
(42) *De miraculis occultis naturae p.* 283.

„ tates Austro atque Africo sunt oppositae, homines *plurima anni parti aegrotant*, *ac pituitae* „ *fluxionibus sunt obnoxii.*" Ille etiam catarrhos tunc frequentiores judicasse videtur, quam quidem e causis manifestis explicare posset, cum ad res extraordinarias et quidem ad lunam confugientem illum videamus: hanc enim narrat mire esse efficacem in inferendis exasperandisque morbis, nempe apoplexia, lethargo, stupore, epilepsia, paralysi, hydropisi, *catarrhis ac pituitae fluxionibus*, Belgasque Oceani accolas ejus vim efficacius percipere, quam qui ab illo sunt remotiores, nam nec ulla obstare vel nemora vel montes. (43)

Evolutis jam auctoribus paulo recentioribus, eadem inveniuntur testimonia: de Sylvae-Ducensibus e. g. narrat Follinus, (44) illis ob coelum humidum familiarem esse catarrhum: à Wassenaer tanquam unicuique notam rem allegat, (45) hac in regione cephalalgiam illos invadere, qui nimium mane domo egrediuntur, et dicere non veretur Beverovicius: (46) „ Nulla nobis magis „ familiaris aegritudo, quam quae defluxio sive catarrhus dicitur," qui praeterea de humidorum tractuum incolis idem illud testatur, (47) quod de Belgis maritimis Lemnius: dum quae modo de Foresto et Lemnio animadverti, eadem et Schoockium tangant, inter catarrhi causas *solum cereyesiae potum* recensentem. (48)

Hercle, omnibus hisce testimoniis in unum collectis, quid opponi potest, unde liqueat, hodie quam olim frequentiores esse catarrhos? videamus autem, quae posteriore seculi decimi sexti dimidia parte manifestarum catarrhi epidemiarum fuerit ratio.

Id, quod e Foresto allegavi, demonstrat, Batavos et Germanos prae aliis populis catarrhis obnoxios fuisse. Probabile igitur est, hanc regionem catarrhi epidemiarum, quae pristinis temporibus plus minus totam Europam invasere, fuisse participem, aut et alias sibi proprias expertam, cum ejusmodi quid de aliis etiam locis noverimus. Ejusmodi magis vel minus universales locum habuerunt annis 1239. 1311. 1323. 1327. 1387. 1400. 1403. 1410. 1411. 1414. 1438. 1488 et 1515. (49)

Anni 1557 mense Octobri epidemia hic regnavit, de qua, an non scarlatinosa fuerit, nonnulli dubitarunt: de exanthemate tamen omnino non loquitur Forestus, (50) nec post septem ad undecim dies ullum amplius adortus est morbus. Alcmariae illum multis funestum observabat Forestus, qui eum febrem publice grassantem cum morbo gutturis epidemio nuncupat. Uno momento, ait, mille mortales invadebat: Catarrhi erat instar, non tamen angina, nec inflammatorius. Angor maximus et subinde valida tussis: quin et peripneumoniam nonnumquam simulabat morbus. Proderant gargarismata adstringentia, cassia, cucurbitae humeris applicatae: dein stomachica et aromatica. Delphensibus gravior etiam hic morbus fuisse videtur.

Hunc morbum non fuisse nisi catarrhum epidemicum, mihi quidem persuasum est, cum eodem illo tempore Mechliniae catarrhum epidemicum observaverit Dodonaeus, (51) qui illum validissimo Boreae admodum frigido adscribit et populariter grassantem peripneumoniam illum dicit:

La-

(43) *ibid. p.* 331. (44) *Amuletum Anton. seu Luis pestif. fuga. p.* 6.
(45) *Nooten op* DODONAEUS *Ars. med. bl.* 181. (46) *Alle de wercken.* D. I. *p. m.* 130.
(47) *Schat der Gesonth. bl.* 262. (48) *Lib. de Cervisia. p.* 191.
(49) OZANAM. *Hist. med. des mal. epidemiques etc.* T. I. *p.* 260. (50) L. VI. *obs.* 1.
(51) *Medic. observ. p. m.* 37.

Lateris dolores admodum erant clementes; qui tamen hac parte dolebant, venae sectione praetermissa aut intempestive facta, a quinto ad octavum diem omnes mortui. Maxime certe miror, de venae sectione non loqui Forestum.

Annis 1564 et 1565 valde humidis, Wiero (52) teste, in quibusdam Germaniae inferioris locis (quibus Belgium etiam, pro parte saltem, accensendum esse, plus unâ ratione, perquam probabile est) saeviebant morbi catarrhales pestilentes. Anno 1564 hyeme colli tumores externi pituitosi, incipiente vere et per aestatem anginae crebae, periculosae et acutissimae. Laedebant catharses et venae sectiones: proderant vero quandoque cucurbitulae cruentae. Hyeme sequente successit pleuritis pestilens epidemica: et hic V. S. nocebat.

De hac epidemia loquuntur etiam Forestus et Dodonaeus: quorum prior id tantum narrat, (53) anno 1565 mensibus Oct. Nov. ac Dec. cum longo tempore constitutio austrina permaneret, plurimos non solum in oculorum affectus e defluxione incidisse, verum etiam in ptyalismum, illosque oculorum affectus tum et catarrhos Delphis anno etiam sequenti viguisse; (54) — posterior (55) hanc quoque epidemiam a forma, qua anno 1565 mense Januario induta erat, populariter grassantem peripneumoniam, infinitam hominum multitudinem corripientem, nuncupat. Aderant tusses, raucedines, respirandi difficultates, dolores laterum clementes. Eadem Dodonaeo medendi methodus ac in epidemia anni 1557. Aestatis accessu morbi facies mutata, ita ut primas jam partes agerent destillationes e capite et anginae, quas in plurimis peripneumonia secuta: huic etiam morbo, si ferrent vires, V. S. mox subvenit.

Anno 1580 denuo grassata est gravis catarrhi epidemia, non tantum hac in regione, verum etiam per totum Christianum orbem. Forestus, qui illum Delphis observavit, epidemiae Alcmarianae anni 1557 supra citatae similem illum dicit. (56) De gutturis tamen affectione non loquitur. Nonnumquam in pneumoniam labebantur aegroti. Sanguinem mittebat Forestus, tum et lenitiva dabat, imprimis autem becchica. Mense Oct. et Nov. febris recurrebat, magis pituitosa. Hagae-Comitis multi Theriaca sanabantur. De hac epidemia loquitur etiam Eugalenus. (57)

Videmus igitur, annis 1557, 1564, 1565, 1566 et 1580 his in regionibus regnasse proprie ita dictos catarrhos epidemicos (*Influenza*, *Grijp*) brevissimis certe temporis intervallis sese subsecutos, si hodiernam ejusmodi epidemiarum raritatem reputamus: e sequentibus quinquaginta ad centum annos parum hac de re annotatum invenimus, et non nisi fortuito quasi quodam casu ex aliquo non medico (58) novimus, anno 1642—1643, quo tempore nulla in Hollandia esset hyems, catarrhos in vulgus vehementer saeviisse: longo tamen illo temporis intervallo alias etiam regnasse epidemias, suspicari licet, praesertim si supra allatorum illorum meminerimus, quae illius intervalli scriptores hac de re in universum dixerunt.

Admodum conspicuae epidemiae catarrhales omni tempore non valde frequentes fuisse videntur; aliud quid tamen de levioribus epidemiis suspicari licet: hoc saltem modo, quae eodem fere tempore praedicabant Zacutus et de Moor, inter se conciliari possunt, quorum ille (59) febrem ca-

(52) *Medic. observ. p. m.* 53. (53) L. XIV. *obs.* 23. *et* L. XI. *obs.* 4.
(54) L. VI. *obs.* 55 *et* L. XI. *obs.* 9. (55) *l. l. p.* 31. (56) *L.* VII *obs.* 3.
(57) *l. l. Dedic. p.* IV. (58) *Angissewski. Epist. de podagra curata. p.* 92.
(59) *Opp.* T. II. *Prax. admir. p.* 95.

catarrhalem frequenter obviam, hic (60) minus solitam et epidemicam dicebat: illamque posteriori fuisse sententiam ex eo patet, quod simul de epidemia vehementi, quae anno 1510 in Gallia regnavit, a Thuano *Coqueluche* nomine memorata, loquatur.

Seculi decimi septimi finis tempus est, a quo inde morbos catarrhales frequentiores factos esse, perhibuere nonnulli: quo jure, ignoro. Illius rei argumenta a Michellio allata, *a priori* fere desumta sunt; pro parte tamen jam demonstrasse mihi videor, historiam illam opinionem redarguere, quam in rem tamen ulterius inquirere non abs re erit.

Seculo decimo septimo exeunte et decimo octavo incipiente intentioribus quam antea oculis morbos catarrhales contemplari coeptos esse medicos, eo, quod experimentorum de perspiratione institutorum fama expergefieret illorum attentio, optime explicatur. Ordinis non fuit inversa ratio: anno jam 1612 aut 1614 scripserat *Medicinam* suam *staticam* Sanctorius, morborum catarrhalium peculiari ratione non habita: opusculum iterum atque iterum typis mandatum et argumenti gravitate Keilio imprimis Anglo attentionem movente, circa annum 1718 hujus prodiit Medicina Statica Britannica, dum anno 1736 hac in regione librum suum *de perspiratione insensibili* evulgaverit J. de Gorter.

Per prius seculi decimi octavi dimidium, nullae, quantum novi, de morbis catarrhalibus auctis motae fuere querelae. Circa annum 1710 scribebat Lolkema (61) a subita refrigeratione hic inter alia oriri febres lymphaticas, quae catarrhus (*verkoudheid*), Erysipelas (*roos*), et in graviori casu *blids* dicuntur: lenibus eas diaphoreticis sanari: — has febres vehementiores magnam lassitudinem, capitis gravitatem, vertiginem et aurium hebetudinem concomitari, ut et delirium, soporem, os humidum et colorem plus aequo rubicundum, unde forte nomen *Rosa*; hasque febres generatim non esse violentas. Non nullius momenti est hic locus, cum in eo, non obstante ultima linea, in aprico sit transitus in ideam renovatam recentioribusque temporibus adeo tritam febris catarrhalis malignae seu nervosae: *renovatam* inquam; multum enim abest, ut nova tunc fuerit illa idea, testantibus Foresti Synochis a perspiratione supressa, iisque putridis factis, tum et ipsa illa denominatio quin Sylvianis in communi usu futura fuisset, nullus dubito, nisi catarrhum proprie ita dictum necessarium febris catarrhalis symptoma habuissent. (62) Ad caetera rogo, num quid in citatis Lolkemae verbis lateat, quod alicujus novitatis mentionem simulet.

Nec a Bouwero, qui anno 1715 scripsit, major catarrhorum frequentia memoratur. „ Assiduus labor" inquit (63) „ et corporis exercitatio — a scorbuto et catarrhis hunc populum „ magnam partem custodiunt." Alicubi tamen fatetur, in Hollandia aliisque frigidis et humidis regionibus omnium gravissimos esse catarrhos: (64) — haec autem causa semper exstiterat; quod si illius verba cum allatis (ut unum tantum memorem) Foresti, qui sesquiseculum ante Bouwerum scripsit, comparamus, rogare licet, num hic catarrhos magis universales et graviores praedicet, quam ille? De Lemnio omnino non loquendum, nam horsum plane vergeret libra.

Anno 1733 ineunte, ut aliis in regionibus, sic in nostra catarrhi regnavit epidemia, quae calamos exercuit J. Gorteri et medici Enchusani A. Stochii.

Pri-

(60) *Instit. med. p. m.* 145, (61) *Verhandeling van het zuur enz. bl.* 102.
(62) *Conf.* SYLVII. *Prax. med.* L. I. C. XXIX. C. 10. 11. 12. C. XXXIII. 12.
(63) *Weg ter gezontheid. bl.* 297. (64) *ibid. bl.* 246.

Primo loco mirari subit, quod quum prior aëri illo tempore praeter naturam calido hyemem maturam secuto illam epidemiam adscribat, (65) hic causam plane inversam accuset: (66) qui fiat, ut duo oculares testes adeo inter se dissentiant, ignoro: Stochio autem fides habenda, cum ejus testimonium illud Swieteni (67) confirmet.

Gorteri et Stochii hac in epidemia adeo diversa fuit medendi ratio, ut hic ridiculum censeret, (68) si quis discrimen illud ex Harderovicenorum et Echusanorum diversa diaeta et temperamento explicare voluisset. Gorterus dicit, (69) se varias epidemiarum historias cum hac epidemia comparando et ratiocinando in illam se incidisse methodum, quam secutus est, morbi nempe materiem per insensibilem transspirationem educendi, „de qua evacuatione pauci cogitant, utpote „ minus cognita et descripta ab auctoribus." — Et consona fuere remedia: in universum non videtur misisse sanguinem, qui etiam, ipso judice, non nisi minorem in superficie formabat cuticulam inflammatoriam.

Venae sectionem, eamque aliquando repetitam ad leniendum dolorem utique conferre statuebat, tum et sanguinis crustam phlogisticam observabat Stochius, (70) simul tamen diaphoresin respiciens. Multos juniores et annosiores medicos contra Gorterum defendit, dicens, illos sedulo de evacuatione transspirationis insensibilis cogitasse, Gorterum hic facem non accendisse, quippe quae methodus medendi *ab auctoribus descripta* esset, Sanctorianamque transspirationem tonsoribus etiam esse notam. (71)

Qui Gorteri verba extra orationis connexum legat, illum methodi medendi per diaphoresin inventorem sibi visum fuisse, facile cogitet: ejusmodi vero quid de illo statui nequit: quamvis enim (non obstante Stochii assertione) verosimile sit, per majus minusve ante dictam epidemiam temporis intervallum minus usitatam fuisse illam methodum, cum Boerhaavius saltem illi non admodum favisset, Sylvianae tamen methodi, in qua tantas diaphoresis agebat partes, excidere non potuerat memoria: quidquid sit, de illa dici vix poterat, illam minus ab auctoribus fuisse descriptam, Gorterumque ideo breve illud tempus, per quod Boerhaaviana praecepta maxime viguisent, ob oculos habuisse, probabile est, ni potius statuamus, illum revera evacuationem per transspirationem insensibilem a sudoris provocatione distinxisse, quae tamen non nisi gradu differunt, et quarum priorem debitis semper limitibus continere hodie etiam practicum fuerit problema.

Mihi quidem posterius imprimis arridet: verumne dein semper recte quidem intellectus Gorteri est animus? et nonne illius auctoritas cogitando ansam praebuit, quasi ab illo proprie hac in regione ortum duxisset methodus medendi per diaphoretica in genere ita dicta? hanc vero methodum illius auctoritate tunc denuo exsuscitari et potuisse et debuisse, nullus dubito. Quidquid sit, de majori suo tempore, quam olim, illius methodi necessitate ne verbo quidem loquitur de Gorter, quam tamen ipsius operum fide partim statuisse recentiores medicos, probabile est, quae vero conclusio, quam nullo fundamento nitatur, ex allatis patet.

De febribus catarrhalibus alicubi haec fere statuit Michell, (72) illas olim quidem non fuisse in-

(65) *Morbi epidemii descriptio et curatio per diaphoresin. p.* 2.

(66) *Diss. de morbo epid, hac hyeme grassato. p.* 4. (67) *Constit. epid. L. B. p.* 250.

(68) *l. l. in praef.* (69) *l. l. in praef.* (70) *l. l. p.* 4. (71) *l. l. p.* 9.

(72) *Verh. over de* febres catarrh. *bl.* 23.

incognitas, at non eandem illis fuisse indolem; ita ut recentiorum temporum febres catarrhales seculo decimo octavo ineunte, pristini aevi continuarum remittentium, Synochorum simplicium, febrium rheumaticarum locum occupaverint.

Ex aptissima hujus periodi explicatione febrium *continuarum remittentium* nomine hic significantur febres autumnales et quidem bilioso-putridae: quis autem est, qui seculi decimi sexti et sequentis scriptores cum recentioribus comparans, notabile aliquod discrimen inveniat? Utroque temporis intervallo febres remittentes, manifesto tamen ex intermittentibus ortae, aut cum iis mixtae: utroque bilis pituitae conjuncta: utroque cibi pingues et dyspepti usus, unde saburra, praecipua praedisponens causa: utroque probabiliter, posteriori saltem certe, perspiratio suppressa non adeo causa occasionalis, quam quidem aër e paludibus, aut argilla humida assurgens. — Quod ad curam attinet, haud profecto seculi decimi octavi initium tempus fuit, quo primum de perspirationis auctae utilitate cogitatio subiit: jam longe antea, ut supra vidimus, diaphoretica tanquam *adjuvantia* nonnulli adhibuere medici, inter principia remedia retulerunt alii: qua tamen in re ut omnes consenserint, multum abest: num autem ultimum forte tempus majorem hujus methodi necessitatem patefecit? nequaquam: examinentur e. g. multae hac de re annotationes in Actis Societatis *Ad Commerc. Epist:* in febribus autumnalibus diaphoresin non neglectam ibi videmus, in universum tamen non magis laudatam, quam ante hos centum & quinquaginta annos. — Quae igitur causa febribus autumnalibus hodiernis indolem magis catarrhalem quam pristinis assignandi? Et quo jure dixit Michell: „In pathologia hospitem, physiologiae plane ignarum illum esse „oportet, qui febrium vernalium et autumnalium illius et hujus temporis differentiam e celeberri- „morum medicorum scriptis elicere nequit (73)".

Idem etiam super *Synochis simplicibus*, quas memorat Michellius, rogo: nonne vidimus, ut prima jam historiae nostrae medico-literariae luce in ephemeris simplicibus curandis semper de perspiratione promovendâ cogitaverit Forestus, adeoque occasionalem illarum febrium causam saepissime catarrhalem perspexerit? Et nonne, in ephemeras protractas, seu Synochos simplices, secundum Forestum gradu tantum ab ephemeris simplicibus diversas, transferre id licet? — Verum ne repetam, quae supra jam dicta sunt: — quod ad febres rheumaticas attinet, de his fusius infra.

E disputatis igitur sequitur, absque ratione statuisse Michellium, aliorum morborum locum febres occupasse catarrhales; simulque patet, non adeo majores, quam olim, hodie catarrhum agere partes: hodie inquam, quamvis uon nisi ad Machellii tempus nobis ventum sit, quoniam, si non minores, non etiam majores hodie de morbis catarrhalibus audiuntur querelae.

Si morbos, qui a catarrho profecti aut febrium catarrhalium secundarii dicuntur, quique igitur et ipsi ultimo seculo frequentiores facti habentur, reputamus, sat multos illos invenimus: ejusmodi sunt dysenteria, febres aestivae et autumnales, morbi nervorum, morbi pectoris, febres lentae nervosae (quippe quae et ipsae febres catarrhales dictae sint), hydrothorax, phthisis caet. — utrum omnes hi morbi hodie, quam olim frequentiores sint, alia est quaestio: e praecedentibus vero liquet, illud saltem non locum habere ob majorum morborum catarrhalium frequentiam.

At forte catarrhi hodierni pristinis indole inflammatoria cedunt? (quae Michellii (74) sententia fuis-

(73) *ibid. p.* 11. (74) *ibid. p.* 14.

fuisse videtur, cum hodiernas febres catarrhales a Boerhaavii aliorumque febribus *rheumaticis*, *catarrhoso-phlogisticis* omnino differe dicebat:) — judicium difficile; ubi enim ad hoc e praecedenti tempore satis magna casuum sporadicorum, una cum adhibita cura, annotatorum, reperitur copia? recentioris tamen temporis epidemiam, de qua multum typis mandatum fuit; (75) illam nempe anni 1782 mense Junio, cum supra citatis seculi decimi sexti comparemus.

In illa epidemia, quantum annotatum reperi, Verae, Vlardingae, Amstelodami, Campis et Ziriczeae (76) venae sectio non instituebatur: nonnumquam Oudevatriae, Iselsteinii, Hornae, Hagae-Comitis, et Rotterodami, in ultima urbe aliquando iterata etiam. — Plerumque aut in universum Slusae Flandriae, Schonhoviae et Goudae. (77) Adeo parum sibi invicem consentiebant medici Harlemenses, ut literarium inde ortum sit certamen: illorum plurimi statuebant, epidemiam initio non fuisse inflammatoriam, postea talem fuisse factam, non uni igitur eidemque jugiter locum fuisse medendi rationi: Lugduni etiam, ubi aliquando repetita opus erat venae sectione, ejusmodi simplicter catarrhalis in inflammatorium characterem transitum observasse videtur doct. Voegen van Engelen. (78)

Liquet hinc, satis inter se pugnasse de venae sectionis necessitate sententias, id quod forte apertius etiam fuisset, si ex dictarum unaquaque urbium plurium medicorum nobis fuissent annotationes.

A vario vivendi genere caet. aliquid discriminis oriri potuisse, fateor; ab hoc vero rei explicatio peti non potest, cum e. g. de Vlardinga commemoratio illi non congruat, ubi doct. van der Ham venam non secabat; quamvis incolas valentissimos et scorbuto parum laborantes dicat: quin ubi, secundum illius descriptionem, majorum etiam, quam dicunt, sanitas viguisse videtur: diversum tamen res contemplandi modum diversamque medicam institutionem negligere non possumus, cum illa, tam hic quam alibi, rem multum intricasse, probabile sit; num vero ex iis solis opinionum discrimen ortum suspicari licet, si aequalem revera postularent medendi rationem hodierni catarrhi, nec hic (ut in Synochis) artifici certam quandam latitudinem permitteret nostratium corporis constitutio? dubitare licet: et num aliter quidem statuendum de seculi decimi sexti epidemiis? de illarum nulla tot annotationes habemus, quot de epidemia anni 1782, et citatas ideo conjunctim omnes comparationi ut inserviant, opus est: quod si, quam directe illae, in quibus venae sectionem tantopere laudabat Dodonaeus, peripneumoniae populariter grassantes illi dictae sint, tum et illius temporis medicorum ad sanguinem mittendum propensionem reputantes, ad diversam Wieri, Dodonaei et Foresti medendi rationem attendamus, an ullus quidem est concludendi locus, pristinorum temporum epidemias catarrhales prae hodiernis, antiphlogisticam exegisse medendi methodum.

Sufficiant autem haec de pristini et hodierni temporis medendi ratione: si magna scriptorum, qui ultimis temporibus de morbis catarrhalibus locuti sunt, copia, ipsam horum morborum frequentiam demonstret, demonstrata haec est: eodem autem aliquantum, me judice, modo res se habet cum catarrhalibus morbis, quo seculo decimo septimo sese habuit cum scorbuto: ultro etiam dari potest, catarrhos, prout hic et in Europa reliqua hodie regnant, olim minus fuisse cognitos: at ve-

(75) *Verh. der Corr. Soc.* D. I. *Afd.* II. *en* D. IV. (76) *ibid* D. I. *Afd.* II. *bl.* 156.
(77) *ibid.* D. IV. *bl.* 17. 92. 174. 236. 241. 249. 278. 303. 543.
(78) *Beschrijving van de epid. Zinkingkoorts in Junij* 1782. *te Haarlem*, *bl.* 1. 78. 81. *et passim.*

vero hac in re illa quidem tempora repetenda fuerint, quibus artium otiosae fere erant manus, scientiarum capita: historiae tamen ope tempus definire conati fuere nonnulli; quo in Europa regnare coepta est constitutio catarrhalis; varie autem illi. A terrae motu Ulyssiponensi illud repetit Loudun, (79) ab eo inde tempore in Europa auctum fuisse frigus humidum statuens (1755): Michell pro nostra regione seculi decimi octavi habet initium: (80) Granerius seculum decimum sextum statuit. (81) — Notabile igitur hic videmus discrimen, quod tamen nos non moretur: *Michellii* autem de hac regione sententiae falsitatem praecedentibus satis demonstrasse mihi videor.

DE RHEUMATISMO. Cum antiquiores medici Rheumatismum catarrhi tantum speciem habuerint, de illo pauca quaedam hic inseram. quamvis ipsa illa opinio, tum et Rheumatismi cum aliis morbis e. g. Arthritide, Varenis caet. confusio efficiant, ut de hac materia multum dici nequeat.

Quae e supra demonstrata catarrhi pristinis temporibus frequentia circa Rheumatismum concludere licet, directis quibusdam testimoniis confirmatur: sic nonnulla *Magni Herbarii* auctoris, (82) tum et B. Ronssei verba (83) aperte docent, Rheumatismi speciem, lumbaginem nempe, seculo decimo sexto operariis multum laborantibus et male nutritis tum et tractuum paludosorum incolis frequentem fuisse: utrum autem illo seculo vel et sequenti frequentior an minus frequens quam hodie fuerit Rheumatismus, determinari, me judice, nequit: de ipsius vero tunc temporis vehementia, in medium prolatis nonnullis de Venae Sectione animadversionibus, perpaucis quamvis iis ob causas modo allatas, pro parte saltem statui forte poterit.

Quae Foresti fuerit Rheumatismo medendi ratio, non clare patet, idque propter nominum confusionem: quamvis enim Rheumatismum inflammatorium Arthritidem calidam ipsi dictum fuisse, ex ipsius verbis satis eluceat, utrum tamen ab altera parte Arthritidis frigidae nomine Rheumatismum etiam non inflammatorium complexus sit, incertum: hunc igitur mitto, nec de illo quod dicam multum est, cum apud Forestum exstantium de arthritide calida observationum perpaucae tantum ad Rheumatismum inflammatorium referendae sint. Generalis illi erat regula, in arthritide calida sanguinem mittere, hancque sibi methodum ut plurimum bene cessisse testatur: (84) nec contradicunt casus, quos rheumatismi potius, quam arthritidis dicas: notandum tamen, de repetita, vel et repetenda Venae Sectione nullibi loqui Forestum, omniumque, quantum novi, maximam, de qua loquatur, sanguinis missi quantitatem unciarum fuisse octo, idque in casu, (85) qui quamvis *de chiragra et podagra* titulum ferat, si ullus, Rheumatismi inflammatorii exemplo esse potest: unde non strenue antiphlogisticam hoc in morbo Foresti fuisse medendi rationem satis elucet.

me-

(79) OZANAM. *l. l.* T. I. *p.* 12. (80) *l. l p.* 17. (81) *Topogr. etc. de Walcheren p.* 15.
(82) *Den groten herbarius. cap.* LXXXII. (83) *Epist. p. m.* 111. (84) L. XXIX. *obs.* 11.
(85) *ibid. obs.* 14.

Quinquaginta circiter post Foresti aetatem annos eadem, ac illi, Hermanno van der Heyden, medico Gandavensi, Rheumatismum inflammatorium curandi ratio fuisse videtur; qui itidem et in arthritide vera vehementi (86) et in Ischiade (87) sanguinem mittere solebat: qua vero in posteriore copia non liquet: a repetenda autem venae sectione illum se fere continuisse, satis, me judice, constat: non tantum enim de illa re prorsus non loquitur, verum etiam *sanguinis missionem* et *purgationes* jugiter memorat.

Quae paulo post de Rheumatismo scripsit Zacutus, et illa indicare videntur, hunc auctorem illum morbum hac in regione, ut plurimum saltem, vehementissimo gradu non observasse. „Febris catarrhalis" inquit (88) „frequenter occurrit. Ob vitiosa excrementa retenta et putrefacta illico in putridam commigrat. Demum symptomata patiuntur continenti putridae similiima „intolerabili artuum dolore et difficili motu correpti, qui morbus maxime Normannos et eos, qui „regionem juxta Sequanam flumen excolunt, velut patrius et vernaculus infestat. Si febris adest, „audacter vena secanda et purgantia adhibenda." Febrim putridam antiqua hic significatione esse sumendam, ultro patet: nonne vero e loco citato probabile fit, Zacuto vehementi illo gradu et symptomatibus dictis stipatum raro hic obvium fuisse Rheumatismum? Quae enim causa Normandiam et Sequanae ripas in exemplum ducendi, cum illud scribens jam hic vitam degeret?

Circa idem illud tempus suam Rheumatismo acuto medendi methodum proposuit Sydenhamus, quam paucis in memoriam revocare liceat.

Primitus praeceperat ille (89), ut in universum quadraginta sanguinis unciae mitterentur, primo nempe die decem, die sequenti totidem, post unum alterumve diem tertia vice totidem unciae, interjectis dein tribus vel quatuor diebus quarta vice eadem quantitas. A Roberto Brady hac de re interpellatus, ita dein consilium mutavit Sydenham (90), ut jam duas tantum, *ad plurimum* tres vices decem sanguinis uncias mitti juberet *ulteriori experientia edoctus*. Si vero consideremus, virilem aetatem praetergressos tantum vel vino ac aliis liquoribus spirituosis jam a longo tempore plus aequo addictos hac methodo tractari voluisse Sydenhamum, dum juvenes *aeque feliciter* diaeta e sero lactis, phlebotomiae loco substituta, curari statuat (id quod meam quidem fidem superat) — si porro consideremus, evulgatae antea sententiae aliquantum saltem patrocinari voluisse illum, suspicari licere, — tum et revera sententiam illum mutasse, nonne jure nobis dubitare licet, an omnium quidem optima fuerit ipsius emendata etiam methodus? Quod si igitur pro maxima in universum quantitate viginti unciarum sanguinis missionem ad Rheumatismum acutum curandum Sydenhamo opus fuisse, statuamus, hac saltem in re ipsius medendi ratio ab illa Culleni non differt, nec major illius quam hujus aetate Rheumatismi in Anglia vehementia probatur, quamvis temporis intervallo illis intermedio, ut nostratibus, sic Anglis, magna acciderit diaetae mutatio.

Si de nostra regione eadem res demonstrari nequit, similem tamen, me judice, suspicari licet; non hanc vero tantum ob causam illa citavi, verum etiam, quoniam ad inflammatoriam, qua hac etiam in regione olim fuisse dicuntur, morbi, indolem demonstrandam, directe Sydenhami testimonio usi sunt nonnulli, quos inter, quod ad Rheumatismum attinet, nuper van Rotterdam, quippe qui dicat: (91) „Hodie in universum nec adeo frequenter, nec adeo copiose quam prae-

„te-

(86) *Discours et advis*. p. 84 et 121. (87) *ibid*. p. 126. *sqq*. (88) *Opp*. T. II. *Prax. adm*. p. 95. *sq*.
(89) *Opp*. p. m. 274. (90) *ibid*. p. m. 317—320. (91) *Mem. sur la saignée*. p. 21.

„ teritis seculis mittitur sanguis: in rheumatismo acuto violento pro media quantitate (*ubi loci hoc?*) „ quadraginta uncias sanguinis detrahi jussit Sydenham; modum autem excedere absque dubio „ haberetur ejusmodi sanguinis missio: (*superflua profecto animadversio*) meliorem etiam methodum „ aetate provectior usuque exercitatior secutus est ille et satis copiosam dein declaravit venae sec„ tionem unciarum viginti Cullenus. (*) Hujus seculi homines, urbes potissimum habitantes nimium „ forte enervarunt hodierni mores, diaeta lauta, vita deses, immodica libido caet. quam ut *enor„ mes* evacuationes, nostris majoribus (*pères*) toleratas ferre possint."

De his ultimis quid sit, in praesens mitto, illa e Sydenhami et Culleni medendi methodis inter se collatis non sequi, mihi quidem persuasum esse, unum animadvertens. Quod speciatim Belgarum seculi decimi septimi medii Rheumatismum attinet, illis non aeque ac nonnullis aliis populis methodum antiphlogisticam opus fuisse, supra citata Zacuti verba probabile reddunt; cui imprimis accedit, cum de Anglis locuti fuerimus, quod non tantum Pringle magnam inter Belgas et Anglos, quod ad venae sectionis necessitatem, observaverit differentiam, (vid. supra pag. 17) verum etiam longe ante illum idem statuerit noster Baggaart, (92) qui diserte aït: *non eo, quo quidem exercuit, hac in regione artem exerciturus fuisset Sydenham;* ita ut si Normannorum caet., Anglorum etiam Rheumatismum Belgarum illo multo acutiorem observare potuisse Zacutum, maxime probabile sit, et ab hac etiam parte claudicet Rotterdami conclusio; de cujus sententia et hoc apprime notandum, illam Heydeni, qui hercle inter Rotterdami, ut et ipsius medici Gandavensis, *majores* annumerandus est, supra citata medendi methodo plane refelli videri. Hac tamen etiam in regione ad Rheumatismi curam olim saepe profuisse largas Venae Sectiones, de eo mihi quidem persuasum est, num vero hodie aliter? nisi plane me mea fallit experientia, ad juvenum etiam nostratium rheumatismum curandum non semper hercle phlebetomiis, iisque nonnumquam repetitis, substitui potest diaeta e sero lactis.

Catarrhales recentiorum temporum febres, a febribus rheumaticis, catarrhoso-phlogisticis a Boerhaavio aliisque descriptis, *quarum locum occupavere*, omnino differre aït Michell. (93) Boerhaavii tamen aphorismis, si de his saltem locutus est ille, propositio mea, ante centum quinquaginta annos et ultra non adeo probabiliter hic quam alibi vehementem fuisse Rheumatismum, pessumdari nequit: illum quidem morbum atrocissimum et frequentissimum dicit Boerhaavius, nonne vero, bene notatis, quae addit ille, juncturas quorumcunque artuum obsideri, imprimis autem genua, lumbos et coxendicem, nonne, inquam, et hodie morbum illum et atrocissimum et frequentissimum jure appellamus: ad rite comparandum hic etiam deësse numeros patet.

Ne levissime quidem porro Boerhaavius indicat, hunc sibi morbum pristinis temporibus frequentiorem fuisse videri, quamvis per totam fere ipsius vitam, potuum calidorum usus et abusus, praecipua secundum Michellium dictae mutationis causa, nec profecto Boerhaavio caeteroqui innocuus habitus, viguisset, ita ut Michellii sententiam fundamento carere; jure concludere mihi videar.

(*) Hanc equidem quantitatis definitionem in Culleni operibus, quae mihi ad manus sunt, invenire non potui; de re tamen ipsa nullus dubito, perpensis illius Rheumatismo medendi praeceptis. Conf. illius *Pract. of Physic. vol.* II. *p. m.* 29.

(92) *De Kinderpokken enz. bl.* 53. (93) *l. l. p.* 14.

DIS-

DE SYNOCHA.

Hanc febrim, quae, nostra saltem in regione, imaginaria forte tantum existit, silentio plane praeterire non possum, cum nostro argumento et illud magno futurum fuisset emolumento, si scivissemus, quid de illis observasse sibi visi fuissent variae aetatis medici.

Perpauca tamen hac de re dicenda se praebent; nam etsi antiquiores nostri scriptores aeque ac hodierni semper quidem de hac febre mentionem faciant, rarissime tamen occurrunt de illa observationes.

Ejusmodi quid habere videri posset Forestus: inter sexaginta ad septuaginta febrium non intermittentium observationes, quae L. I°. et II°. continentur, quinque exstant, quae Synocham simulant: scilicet II. 1. 2. 16. 19 et 21. (19. Phrenitis fuisse videtur). Si vero reputamus, in casibus 1°. 2°. et 21°., quorum aegri biliosi dicuntur, tum et in casu 20°. eccoprotica necessaria duxisse Forestum, simulque animadvertimus huic libro titulum esse *Febres continuae* (συνεχεῖς) (94) dubitare licet, an unquam quidem Synocham simplicem viderit Forestus. Nec magnae erant sanguinis missiones: in casu 1o. et 21°. unciarum octo, in 16°. unc. sex, et in 20°. unc. quatuor; in casu 2°. quantitas non memorata.

Synocham hac in regione non eo plane, quo apud Graecos, curandam esse modo, seculi decimi septimi initio sentiebat à Wassenaer, addens compertum fuisse incommodum ab aquae hoc in morbo potatione hic profectum. (95) Exempla non affert.

Dimidium seculum post unicum *febris Synochae* casum a Regio memoratum invenimus. (96) Juvenilis aetas, corporis vigor, temperamentum, causae, omnia ad morbum illum formandum conspirabant. Symptomata vero dubium reddere possent, an non potius Phrenitis fuerit. Suffecit ad curam V. S. librae unius, quamvis ad febrilis caloris moderationem data fuerint medicamenta, quae sylvianam olent methodum.

Ex paucis hisce sedulo mihi indagatis, liquet, nos, cum periodos legimus, quales sequentes: „ Maligna febris non omnium dierum morbus est et longe frequentiores febres inflammatoriae observantur:" (97) — „ Quicumque febrim inflammatoriam cognoscere cupit, veteres „ legat. Et non tantum nostratibus rara illa est, sed etiam Russis, praesertim in urbibus." — „ Synocharum locum catarrhi hodie occupavere" (98) nos, inquam illis auctoribus assentiri non posse, si Synocham simplicem in mente habuerint. In quantum, quod ad generalem febrium indolem, ex aequo dixerint, nonnihil jam e disputatis patet et ulterius e sequentibus patebit.

(94) *Conf.* L. II. *obs.* 1. *schol.* (95) DODONAEUS *Ars. med. ofte enz.* (*met nooten van Wassenaer*) *bl.* 27.
(96) BROEN. *Animadv. in* REGII *Praxin med. p.* 335. (97) *V.* SWIETEN. *Comm.* T. II. *p.* 441.
(98) *Nieuw Alg. Mag. van Wetenschap enz.* D. IV. *St.* I. *bl.* 707.

DIS-

DE FEBRE PESTILENTIALI.

Valde est indefinita vox *febris pestilentialis*, et omnes, quibus illud impositum fuit nomen, inter se comparare febres, inutile profecto fuerit opus: in praecedentibus etiam hic illic jam de febribus, quas indefinite certe, ita nuncupaverat Forestus, locutus sum, quo magis scilicet elucerent illius et in universum de putridarum differentia opinio, et methodus medendi: si autem illi voci definitus quidam annectitur sensus, ita ut febrim significet, cui cum peste orientali plus minusve symptomatum commune sit, sique illo respectu variae pristini temporis de febribus sive pestilentialibus sive malignis dictis annotationes inter se comparantur, non omni conclusio carere mihi videtur momento.

Obscura fere sunt, quae de febribus pestilentialibus habet Forestus; sic supra pag. 9. aliquot illius febris casus attuli, qui quominus ad bilioso-putridarum referantur, nihil impedit; alibi vero (L. VI. *obs*. 36) casum discribit Forestus febris, *pestilentis* nomine, quem verae pestis fuisse equidem crediderim, quod idem statuendum mihi videtur de febre, quam *lenticularum* vel *puncticularum* nomine L. VI. *obs*. 35 descripsit: allegavi praeterea ipsius testimonium, decimo quoque fere anno Delphis regnasse pestem aut febres pestilentiales, quas non fuisse nisi mali moris febres bilioso-putridas mihi quidem persuasum est: accedit, quod causis hac in re innocuis *pestis* epidemias tribuit ille, veluti pravi victus usui, (99) tum et malo balaenae putrescentis odori, (1) cui quidem aetiologiae originem forte praebuit morborum ab ejusmodi causis revera productorum cum vera peste conjunctio; attamen cum de ea re non certo constet, semper etiam de Foresti sententia dubitandi est locus, qua in re consentientem habemus Deusingium, (2) qui, an pestis Leidensis anni 1578 a ciborum pravorum usu, ut aiebant, orta, vera pestis fuerit, dubitabat: morbos simpliciter epidemicos pestilentes non dixit Forestus, ut febrium intermittentium, catarrhalium caet. historia docet; utrum contagiosos, dubium, cum ipsius de pestis origine ignorantia clare pateat: et tamen, si quis alius, pestis symptomata noverat Forestus. Ad cunctas igitur has difficultates explanandas, nihil, me judice, aptius, quam ut statuamus, iis febribus, quibus *pestilentialium* nomen imposuit, cujusmodi innumerae ab illo memorantur, cum vera peste plus minus symptomatum commune fuisse: quod si probabile, non tantum de *pestilentialibus* Foresti bilioso-putridis febribus id dictum volo, verum etiam ad ejus Synochos putridas *pestilentes*, de quibus ne unum quidem apud illum exemplum extat, transferendum erit.

Quod ad priores febres attinet, non parum, me judice, ea, quae dixi, comprobantur eo, quod certo quodam loco, quo nec de peste, nec in universum de morbis agitur, haec habet Lem-

(99) L. VI. *obs*. 9. (1) *ibid. schol.* (2) *Tract. de peste, p.* 207.

Lemnius, (3) Foresti aequalis. „ Eurus aestivis mensibus fervidus est, urentesque febres excitat: et, quod in Belgica a me saepius observatum est, grassante morbo aliquo populari, ut illo „ spirante assolet, carbunculos ac tumores contagiosos in inguine et sub alis parturit, rubentesque „ pustulas atque exanthemata." Non plane aperta est grammatica hujus periodi ratio: de vera tamen peste loqui non videtur Lemnius, quippe de qua id dici necesse non esset: illud itaque tantum indicare voluisse videtur, *urentes febres*, aestate exortas, si numero auctae maligniores fiant, illa exanthemata caet. producere. Idem prorsus testimonium dein exhibuit Beverovicius, (4) et adeo quidem, ut Lemnii locum ob oculos habuisse videatur, simul tamen, ut de vulgari quadam re, et cui album calculum omnino adjiceret ipse.

Quod ad posteriores febres attinet, non certo constat, quid *febris puncticularis* nomine significaverit Dodonaeus: cum tamen moneat, (5) primo aut secundo febris die Venae Sectionem utiliter fieri, apparentibus vero maculis nullo modo convenire, nec de peste mentionem una faciat, non temere, me judice, statuitur, adeo saepe in synochorum stadio asthenico petechias comparentes vidisse Dodonaeum, ut peculiarem inde formaverit febris speciem, id quod comprobat J. Heurnii petechiis benignioribus medendi ratio. (6) Nec silentio praetereundum, quod dimidio, et quod excedit, seculo post de petechiis, anthracibus et bubonibus dicentem videamus Wallaeum, (7) quasi illa febribus simpliciter malignis et pestilentialibus aeque ac verae pesti propria habuerit.

Quamvis generalia haec testimonia epidemiarum exemplis confirmare nequam, magni tamen momenti sunt, cum dicti auctores, Lemnius imprimis et Beverovicius, de illa re, non tantum ut praesente, verum etiam ut saepius occurente, loquantur.

Post seculi decimi septimi medium, id est, ab eo inde tempore, quo ultima vice hac in regione vera regnavit pestis, de febribus malignis, cum anthracibus et bubonibus, sive de febribus vere pestilentialibus, perparum mentionis factum invenitur.

Matthaeus, ubi de illarum febrium malignarum, pestilentium caet. quarum causam veneno *caustico* aequiparat, agit, (8) de petechiis et maculis quidem loquitur, non item de anthracibus et bubonibus. — Blasius scribit, (9) petechias, *pestilentialium* febrium (*blitskoortsen*) comites ab aliis exanthematibus facile dignosci per febrim malignam, ingentem angustiam cordis et faucium, uti et per contagium: quam aliam ob causam nec *per anthraces et bubones* dixit, nisi quod illos in his febribus rarissime observaverit. — In horrenda anni 1669 epidemia Leidensi illa symptomata non fuere observata, imo diserte testatur Fanois: (10) „ pestilentialis morbi formam induisset genuinam maligna haec febris, nisi defuissent exanthemata, *bubones*, *anthraces*, lapsus „ virium subitaneus."

In sua pyretologia inter alias febres de Moor (11) etiam numerat malignam pestilentem, malignam cum spasmo et catarrhalem: duas posteriores minus ordinarias et epidemicas habet: (conf. supra pag. 32.): — prima igitur magis ordinaria et quidem epidemica erat: dolendum igitur, illum non definire, quid *malignae pestilentis* voce significet: cum tamen anthraces et bubones ne verbo quidem memoret, non nisi petechiales ob oculos illum habuisse febres, probabile est.

Si

(3) *De miraculis occultis naturae. p. m.* 285. (4) *Alle de wercken* D. I. *p. m.* 82. (5) *Praxis medica. p. m.* 97.
(6) *Opp.* T. II. *p.* 60. (7) *Medica omnia. p.* 125. (8) *Disp.* 2^a. *de febribus.* §. 16.
(9) *Medic. universa. p. m.* 168. (10) *l. l. p.* 203. *sqq.* (11) *Instit. medic. p. m.* 145.

Si his omnibus simul sumtis addimus, in illius temporis compendiis et dissertationibus de anthracibus et bubonibus tamquam de malignarum febrium symptomatibus, aliquantillum etiam solitis, nusquam mentionem fieri, quadraginta ultimi seculi decimi septimi anni hac in re perparum distulisse videntur a nostris temporibus, de quibus illud tantum dici nequit, dicta symptomata non occurrere: sique porro reputamus, quam frequenter antiquioribus temporibus de febribus pestilentialibus facta fuerit mentio, idque a scriptoribus, qui veram pestem et viderent et novissent, tum et directa Lemnii et Beverovicii testimonia adjungimus, suspicari licet, illa symptomata, sive in morbi tenore obvia, sive critica fuerint, olim magis quam recentioribus temporibus dictas febres comitatas fuisse.

Illius rei causam determinare difficile: an in febres intercurrentes imperium olim exercuit, tanquam morbus stationarius, pestis? an vero non nisi indolis mitioris pestis modi fuerunt omnes illae febres pestilentiales? quis prorsus negaverit: cum recentiori tamen etiam tempore a febribus malignis non plane alieni fuerint anthraces et bubones, (12) hos olim etiam, majori quamvis copia, sponte in febribus malignis comparuisse, majori, me judice, cum probabilitate statuere licet.

Quod ad petechias attinet, has quoque, quamvis recentioribus etiam temporibus non tantum sporadice, verum et epidemice observatas, magis vulgares olim fuisse, probabile est: absque pestis imperio dico et petechias benigniores; nam et veram quandoque pestem sub simplici ejusmodi petechiarum forma tunc latuisse probare mihi videtur febris petechialis Neomagensis anni 1636. (13) Quod si tamen non placet hoc, magis etiam pro iis, quae dixi, militat illa epidemia, monstrando, aestate fervidâ petechialem tunc regnasse febrim adeo vehementem, ut in pestem transiisse illam, dixerit Diemerbroeck.

Magis vulgares olim fuisse dictas petechias, quodammodo jam monstrare mihi videtur vocabulum *Bluts*, nulli, quantum scio, scriptorum vocabuli *Pepercoorn*, quo nempe petechias nigras, vere pestilentiales significant, synonymum habitum; dum tamen seculo decimo octavo in ore populi esset: hoc in tantum aliquid probat, in quantum illi tempori nostrum opponamus, quo illa vox amplius vix nota est, absque eo, ut synonyma illius vicem rependerit. Accedit tamen imprimis antiquiorum scriptorum de petechiis benignioribus, et a vere pestilentialibus bene distinguendis, loquendi ratio: quae, quamvis epidemiarum historiae rarissime occurrant, eas tunc temporis admodum vulgares fuisse, satis, me judice, monstrant. Legantur enim conjunctim, quae hac de re scripserunt Dodonaeus, (14) J. Heurnius, (15) Egbertus, (16) van der Mye, (17) Beverovicius, (18) Fontanus, (19) Diemerbroeck, (20) Blasius, (21) Matthaeus (22) et Schumacher (23) et dicti veritas unicuique, ni fallor, patebit.

Quan-

(12) *Conf.* v. HERFELT. *Geneesk. waarn. bl.* 1. *et Verh. der Corr. Soc.* D. I. *Afd.* II. *a. bl.* 295.*
(13) DIEMERBROECK *Opp.* T. II. *p.* 6. (14) *l. l.* (15) *l. l.*
(16) DODONAEI *Prax. c.* EGBERTI *scholiis. p. m.* 98. (17) *De officio medici praesidii. p.* 11 *et* 16.
(18) *l. l.* (19) *Annot. ad* DODONAEI. *Prax. p. m.* 99.
(20) *De peste* L. I. C. XII. 4. 5. *coll. cum Obs. et Cur. hist.* XXIV. (21) *l. l. coll. cum Med. univ. p. m.* 457.
(22) *l. l.* (23) *Disp. de purpura. Hard.* 1667.

Quando jam ad seculum decimum octavum oculos convertimus, omnino aliam rem videmus: illo ineunte de maculis quidem scribebat Bouwer, (24) pulicum morsibus non dissimilibus in febribus minori gradu pestilentialibus sive *Blutz* obviis, quod effatum aeque generale est ac illa scriptorum seculi decimi septimi: si tamen consideramus, illas febres sive cunctas, sive (id quod plus etiam probaret) pro parte *malignas* Swieteni *febres* esse, sique porro hunc auctorem dicentem (25) audimus, febrim malignam non omnium dierum morbum esse, hujus saltem tempore familiares non fuisse dictas maculas, concludere licet; id quod ratione plane confirmatur, qua de sua sibi hac in re experientia loquitur ipse: „ Anno 1742" inquit (26) „ mense Augusto et Sep„ tembri unum alterumve petechiis in hac urbe affectum vidi. — Plures hoc morbo correpti fue„ runt, sed tantum infimae sortis homines."

Quid hac de re senserit de Haen, e sequentibus patet: „ Petechiae" inquit (27) „ olim in „ Belgio erant frequentes: moderato regimine aegrorum principatum obtinente prorsum exsulant, „ nisi quod in fervidissimis morbis sub mortem hinc inde visantur." Explicationem dubiam relinquo, nec nisi nudum volo testimonium.

Quae dein de petechiis motae fuere querelae, adeo parum cum universali morborum genio cohaesi se mihi videntur, ut iis sententia, recentioribus temporibus, minus quam antiquioribus, vulgares fuisse illas, non pessumdetur. Sic van Doeveren e. g. dicit, (28) suo tempore ob multa bella inter alios morbos etiam petechias frequentiores factas fuisse, tum et illas plerasque Europae regiones tam infausto cum eventu pervagatas, ut pestis septentrionalis nomine nonnullis audiret: hoc tamen de nostra regione a Doevereno dictum mihi non videtur; primo enim, de aliis etiam morbis auctis una loquitur, v. g. (ne de Lue et Variolis dicam) de Scorbuto et Dysenteria, quos tunc temporis hac in regione auctos, nullo pacto historia docet: — in illius temporis porro dissertatione, (29) quae, ut certior factus sum, Doevereni sententiam fideliter exprimit, *Batavis epidemice* raro gtassari petechiae diserte dicuntur: — in ipsius denique dictatis pro anno 1775 extraneorum quidem experientiam citatam invenio, propriam non item.

Majoris autem momenti videri possent ea, quae circa annum 1775 scripsit J. J. van den Bosch, (30) febres nempe petechiales ante bellum septem annorum non aeque fuisse notas ac postea: hunc morbum prima vice anno 1757, quo Gallorum exercitus in Cliviae agro castra haberet, Neomagi sese prodidisse, illum ad sui propagationem adeo feracem esse videri, ut in omnibus Westphaliae confinibus tractibus, praesertim in Frisia, quotannis magis minusve rediret, et sensim intimos peteret. Hae autem petechiae, aeque ac illae, quas van Doeveren memorat, quippe belli fructus, in censum hic non venire videri etiam possent: veniunt autem omnino, at in re ipsa errasse Bosschium, mihi quidem persuasum est.

De Man nempe, qui, ut pag. 15. vidimus, de certa quadam febris putridae specie ab anno 1756 inde aucta opinionem primus evulgavit, illi febri synonymam quoque habet febrim petechialem: (31) quam parvi autem hoc momenti sit, non tantum ex inspecto parum concinno reliquorum viginti et am-

(24) *Weg ter gezontheid. bl.* 216. (25) *Comm.* T. II. *p.* 441. (26) *ibid. p.* 404.
(27) *Praelect. in* BOERHAAVE *Inst. pathol.* T. IV. *p.* 265. (28) *Sermo de recentiorum inventis caet. p.* 55.
(29) *J.* VAN DER HOUT. *Diss. de febre petechiali. Mon. ad lect.* (30) *l. l. p.* 472.
(31) *Verh. over de rot-koorts te Maurik. bl.* 53.

amplius synonymorum indice patet, verum etiam ex eo, quod in Culenburgensis, Mauricianae et Dreumelianae epidemiarum (nobis, ut antea vidimus, febrium putridarum post annum 1756 regnantium prototyporum instar habendarum) ultima tantum saepe observatae fuerint petechiae, (32) dum in prima paucis tantum, iisque e plebe tenuissimis effloruerint illae, (33) et in altera, de unico tantum aegro illud symptoma monstrante sibi nunciatum fuisse scribat de Man: (34) quibus, quod ad febres illas post annum 1756, accedit, quod unum tantum petechiarum casum memoret ille, (35) et *plus una vice* purpuram rubram se observasse addat: (36) dicto igitur synonymo illud tantum indicare voluisse videtur de Man, febres istas bilioso-putridas nonnumquam comitari petechias.

Porro notandum venit, de sua sibi experientia nequaquam loqui Bosschium: Hollandia igitur proprie ita dicta tunc temporis ab illis febribus petechialibus immunis fuisse videtur: hanc autem imprimis provinciam res spectat, cum supra citatorum de petechiis scriptorum plerique a Foresto inde ad de Haen, de illa locuti sint: ad rite itaque dijudicandam petechiarum in Frisia grassatarum, de quibus Bosschius loquitur, historiam, de ipsa illa regione ex antecedentibus temporibus annotationes nobis praesto fuisse oportuisset, quas ubi invenire, equidem ignoro: quidquid sit, inficias iverit nullus, morbum petechialem non aliquando tunc in Frisia fuisse epidemicum, quippe quod testentur Stinstra (37) et Ypey, (38) dum id, quod supra de Doevereno dixi, judicio nostro hac in re moderando tantum inservire possit: verum et harum febrium perpetuus apud exteros fuisse videtur fomes, si saltem, id quod, me judice, licet, hac in re Bosschio fidem habeamus, quamvis et apud nostrates, prope Westphaliae limites habitantes, Westphalorumque agricolarum in modum viventes, sponte nonnumquam ortas tunc fuisse febres petechiales, non omnino improbabile sit, eo magis, cum illas febres putridas multum simulasse, quae spurcam ciboque corrupto usam invadunt plebem, ipse affirmet Stinstra.

Ex omnibus igitur iis, quae ultimo seculo de petechiis fuere observata, cum antiquiorum scriptorum hac de re annotationibus comparatis, me judice, patet, morbum illum hodie minus quam olim vulgarem dici posse, et hujus etiam ratione febrium pestilentialium imminutionem posse statui.

(32) *ibid. bl.* 60. (33) *KLOEKHOF Opusc. p. m.* 5 *et* 95. (34) *l. l. bl.* 37.
(35) *ibid.* (36) *ibid. bl.* 40. (37) *VAN DEN BOSCH. l. l. bl.* 250.
(38) *Sermo de Frisiae salubritate. p.* 48.

DE SYMPTOMATIBUS FEBRIUM NERVOSIS.

Si, qua ratione de pristinorum morbis temporum hodiernis oppositis sermocinari soleant, mecum reputo, hanc forte argumenti nostri partem fore, quae omnium maxime attentum lectorem faciat, in antecessum jam novi, simul tamen metuo, ne, quae illi tam parum satisfaciat, nulla futura sit: paucis vero illis, quae inventurus est, lectis, ipse hujus argumenti partis difficultates pendeat, antiquiorum scriptorum opera perscrutetur et aequum judicium ferat.

De *febre nervosa* scribere ausus non sum, cum ab una parte adeo latae significationis capax, aut ab altera parte adeo arctis circumscribenda limitibus videatur ista denominatio, ut nostro huic saltem scopo inservire nequeat, nec inter utrumque illud extremum intermediam existere viam, mihi quidem persuasum sit, hanc ob causam non nisi de symptomatibus nervosis, prout antiquiores hujus regionis medici illa memorant, animadversiones nonnullas exhibituro.

Apud illorum scriptorum antiquissimos de *febre nervosa* nullam prorsus mentionem factam invenimus, nec mirandum, cum in suis nosographiis Graecos et Romanos imitati sint: accessit forte, quod symptomata nervosa ejusmodi non habuerint, quibus speciale febrium genus nosographicum apte superstrueretur, quemadmodum idem illud dein et sensisse videtur Boerhaave et diserte docuit Stoll. Eo tamen non minus de istis symptomatibus cogitabant omnes, id quod non tantum e multiplici de illis in morborum historiis mentione clare elucet, verum etiam ex eo, quod aeque ac Boerhaave, Stoll, recentiorum alii fecere, post petractatas sui systematis febrium species, peculiare statui nervoso caput dicarent nonnulli, quemadmodum fecere Forestus et Lommius.

A priore e. g. inter illa symptomata recensentur: syncope, uteri suffocatio, cordis palpitatio, tremor, sitis absentia, pulsus inordinatus, spasmus, convulsio, delirium, cataphora, vigiliae caet. quibus etiam accedunt observationes de febribus, quae propter hoc vel illud symptoma insolitum diverse denominabantur, v. g. febris Assodis, (39) febris Epialae, (40) caet. — E sequenti etiam observatione adjectoque scholio patere videtur, febres sthenicas statum nervosum secutum saepe vidisse Forestum: vis nobilis post equitationem multam *causo* corripiebatur: secabatur vena et dabantur antiphlogistica: die autem quarto omnibus omnimodis accedentibus symptomatibus nervosis, die septimo occubuit aeger. In hunc casum annotat Forestus: (41) „ Admodum „ vehemens hoc febrium genus, maxime in juvenibus et post annum trigesimum:" quo generali effato illa, quae dixi, comprobari videntur. Sic de alia febrium specie, de febribus nempe pituitosis, ab J. Heurnio dictum invenimus, (42) illas, si syncope accedat, plerumque calamitosas es-

(39) L. II. *obs.* 38. (40) L. III. *obs.* 28. (41) L. II. *obs.* 17. *schol.* (42) *Opp.* T. II. p. 45.

esse: cum autem pag. 5. ex illius verbis elicuerimus, febres vere biliosas hac in regione ipsi perraro obvias fuisse, concludeie licet, statum nervosum ab illo in febribus gastricis observatum periculo plenum nec sthenicae indolis fuisse.

Apud Forestum (43) historia invenitur febris quotidianae continuae cum catarrho, quae viginti quatuor dies duravit. In scholio ad hunc casum auctor dicit, febres quotidianas continuas, quas et *continuas phlegmaticas* nuncupat, ut plurimum per hyemem in regionibus frigidis, locisque humidis otiosos invadere, praecipue illos, qui cibis utuntur viscosis et frigidis: (harum autem rerum plerasque conjunctas saepissime hac in regione observare potuisse Forestum, minime dubito): hae febres, inquit, sese saepe extendunt ad viginti, sexaginta quatuor et ultra dies, imo ad sex menses: quamvis de symptomatibus nervosis fere non loquatur, nec nisi somnolentiam memoret, illae tamen febres nihil aliud fuisse videntur, nisi ita dictae *lentae nervosae*, toties simul *pituitosae*, quae etiam a recentioribus scriptoribus, e. g. van den Bosch, pro catarrhalibus tantum habentur. Manifestum illud fit ex V. 23. ubi *continuam quotidianam* describit, in quam curis, laboribusque defatigatus inciderat ipse: haec febris, quam insuper *laticam* et *hectica* stipatam dicit, manifesto nil aliud fuit, nisi *lenta nervosa*, post tres menses roborantium usu sanata.

Illud igitur, de quo, dictis febribus cognato, querelas audire medicis hodie quotidianum est, *febres* nempe ita dictae *internae* (*Binnenkoortsen*), ultimorum temporum proles non est. Ante Sylvium jam hac de re questus videtur vulgus. „ Belgarum *binnen-koortsen*" inquit ille (44) „ non„ nulli pro febre habent, alii autem habent, diciturque lenta." Nonne insuper indicare videntur haec verba Sylvii, qui ipse exterus, optimus hic testis est, illo tempore, prae aliis populis Belgas de aegritudine quasi ineffabili, ad lentam tamen nervosam accedente, questos fuisse?

Sylvius veterum contemtor non erat, at multo minus servilis illorum imitator: illum suarum esse partium duxisse, ut discipulis, ut civibus scriberet, e nulla fere non ipsius operum pagina palam est: nec ex Hippocrate et Galeno, sed e propria sibi experientia exempla haurit: magni itaque momenti sunt illius annotationes, quaeque omnem nostram merentur attentionem: de nervosis autem febrium symptomatibus quae senserit, recte proponi nequeunt, absque eo, ut paulo accuratius totam illius pyretologiam examinemus.

Febres continuas dividit in biliosas et lymphaticas: (45) biliosae illi sunt, quae magis vel minus ad causum accedunt: in illarum parte tantum magnus observatur pulsus: omnes alias febres continuas lymphaticarum nomine comprehendit, quibus frequens magis quam magnus est pulsus: primum hoc est indicium de Sylvii super febrium hujus regionis indole sententia.

Lymphaticae porro febres aut a lymphae glandularum conglobatarum, aut succi pancreatici aut a salivae vitiis oriri illi dicuntur: prima species febres rheumaticas et vere catarrhales imprimis comprehendit: peculiarem hic Sylvius de symptomatibus nervosis non facit mentionem, quod nec hodie necessarium fuerit: — altera species est febrium cum praecordiorum anxietate et varii generis abdominis incommodis: quae de his scribit Sylvius, valde indefinita sunt, nec aliorsum illas referre poterimus, quam ad proteiformes illas febres, quae, quamvis absque manifesto catarrho sint, hodie tamen catarrhales dicuntur: id, quod de pulsu et urina dicit, illas plerumque etiam nervosas fuis-

(43) L. II. obs. 32. (44) Opp. p. m. 765. (45) Prax. med. L. I. C. XXIX. 5. sqq.

fuisse indicat: — tertia species hecticarum tantum a tabe imago esse nequit, deque lentis etiam nervosis nobis cogitandum erit. Haec autem alterum praebent indicium, si nempe consideremus, illas quatuor febres, prius nempe genus et posterioris tres species ejusdem Sylvio fuisse momenti, quippe qui illas quatuor praecipuas febrium continuarum varietates appellet: (46) quod ad rheumaticas et vere catarrhales febres attinet, multum hic de symptomatibus nervosis cogitare necesse non est: pro parte tamen, quod ad primam classem, febres biliarias nempe; novimus enim, febres bilioso-putridas statu nervoso stipatas diu ante Sylvium observatas fuisse: reliquarum ambarum varietatum characterem nervosum habuisse Sylvium, manifestum mihi videtur.

Haec autem omnia aetiologice humores peccantes tantum spectant: aliam etiam febrium continuarum divisionem habet Sylvius, ab eminentibus nempe symptomatibus petitam, quae ipsius de febribus nervosis sententiam ulterius exponit. Illorum nempe ratione septem continuarum numerat febrium species: (47) harum tres in censum hic non duco: catarrhales febres nempe, causum, et febrim, quam *Breune* nuncupat, quae probabiliter non fuit nisi febris cum aphthis: reliquae quatuor species sunt: 1o. *febris leipyria*: hanc vero nunquam sibi observatam testatur Sylvius: 2o. *febres delirae* ita dictae ob delirium non leve („ *quale in multis febribus subinde observatur*") at grave, furiosum fere, intra paucos dies adveniens, imprimis ubi epidemiae sunt tales febres atque convulsionibus aliisque symptomatibus nervosis supervenientibus tandem necant. 3o. *Febres colliquantes*, quibus brevi tempore corpus exarescit et colliquescit. Hoc nomine non tantum vera tabes, sed absque dubio phthises etiam nervosae intelligendae sunt. 4o. *Febres malignae*, epidemicae et sporadicae, contagiosae et non contagiosae, cito et lento decursu: omnes nervosae.

Omnia autem haec continuas continentes tantum spectant febres: quibus si illius remittentium (48) et intermittentium (49) (de harum statu nervoso quid jam dexerit Eugalenus, pag. 4. vidimus) nosographiam addimus, quid de symptomatibus febrium nervosis hodie amplius dici possit, me ignorare fateor.

Nec a Sylvio hac in re differt ipsius aequalis Matthaeus, e cujus verbis elicere licet, illum febres nervosas hac in regione non tantum frequentissimas habuisse, sed frequentiores etiam quam in aliis, quippe dicit: (50) „ Harum regionum incolis sanguis ab ipso ortu labe scorbutica „ infectus, quum a febre effervescit, materiam morbificam ob spirituum vitalium paucitatem non „ ita facile coquere potest, ut eam stato tempore et simul et semel per crisin exterminet: quare „ observare est, in quibusdam febribus crisim omnino nullam succedere et saepe numero in aliis „ criseos loco materiem febrilem in cerebrum translatam, deliria, motus consulsivos, aliasque „ cerebri et nervorum pravas affectiones inducere," Alio in loco de utraque primaria febrium nervosarum specie tam acute disputat, ut, illum hanc rem diligenter perpendisse, clare pateat. „ Causa proxima" inquit (51) „ febrium malignarum, pestilentium &c. non melius explicari „ posse videtur, quam si attendamus ad vires venenorum; nam assumta venena eosdem produ„ cunt effectus, quae febres malignae: pleraque autem reduci posse videntur ad duos fontes: Nar„ cotica vires subito prosternunt, affectus soporosi, pulsus debiles, a causticis petechiae, ma-

„ cu-

(46) *ibid.* 23. (47) *ibid.* 23. *sqq.* (48) *ibid.* C. XXXI. (49) *ibid.* C. XXX.
(50) *Disp. de scorbuto. p.* 9. (51) *Disp. 2a. de febribus* § 16.

„ culae, tremores, convulsiones, deliria caet." Eodem fere, quo hodie nonnulli solent, modo febres nervosas hic in *stupidas* et *versatiles* divisas cernimus.

Apud auctores, qui seculi decimi septimi fine et sequentis initio vixerunt, de febribus nervosis, nomine saltem tenus, parum mentionis invenitur: postea demum frequentius medicorum in ora venerunt: revera etiam hodie quam olim multo frequentiores esse asseruntur: quo vero jure? si omnia, quibus *à priori* demonstrare voluerunt, aliter esse non posse, mittimus, nec nisi historiam consulimus, illa assertio demonstrari, me judice, nequit: quinetiam pauca illa, quae de symptomatibus nervosis hic attuli, cum reliquis huc usque disputatis comparata, indicare potius videntur a pristini temporis febribus illa in re parum differre hodiernas.

DISQUISITIO IX.

DE PLEURITIDE.

Quo magis illustrentur remotiorum et recentiorum temporum pyrexiae, nonullae hic de pleuritide sequantur animadversiones: idque propterea non tantum, quod morbus ille inflammationum quasi exemplar semper habitus est, sed etiam, quod illius diagnosis, multarum aliarum diagnosi facilior efficit, ut per illud nomen ab antiquissimis inde temporibus eadem semper res intellecta sit.

Ab omni tamen subtiliori examine abstinens, ad duo tantum haec animum adverto, ad majorem nempe vel minorem hoc in morbo sanguinem mittendi necessitatem, et ad magis vel minus catarrhalem illius indolem.

Superfluum foret velle demonstrare, principem, a veteribus huic morbo oppositam, medendi methodum, antiphlogisticam proprie ita dictam, hac etiam in regione ad hunc usque diem innumeris in casibus medici spem non fefellisse: saepe tamen contenderunt, pleuritides olim non tantum magis universe dictam exegisse methodum, verum et fortiorem illam: ultro itaque hoc nobis examinis designat viam.

Boerhaavius alicubi (52) dicit, idemque et hodie nos docet experientia, „ hyemali tempore, „ dum acerrimi et gelidissimi boreales venti *nos* adflant, saepe incidunt homines in saevissimas „ pleu-

(52) *Prax. med. sive comm. in aph.* T. IV. *p. m.* 171.

„ pleuritides." Mirari itaque licet, seculi decimi sexti medio praestantissimum Lommium praecepisse, ut *in Aquiloniis et Austrinis inflammationibus parcius sanguis mitteretur.* „ Secus" inquit (53) „ ac Galenus dicit, nostrates melius sanguinis missionem ferunt in aestate, quam in hyeme: in „ hyeme enim visceribus sanguine opus est." Vehementissimam esse posse inflammationem, forte quis dicat et proinde vehementissimam, ut ita dicam, exigere antiphlogisticam methodum, dum tamen aegri constitutio ejusmodi non sit, quae illam methodum, minus etiam fortem, bene toleret, Lommiique igitur effatum Boerhaaviano opponi non posse: recte tamen opponitur, cum *practicum* Lommii sit praeceptum, cumque in vehementissimis inflammationibus nulla optio supersit. Ne tantillum quidem dubitare possumus, quin contra vehementissimas pleuritides largissimas Venae Sectiones adhibuerit Boerhaavius: vehementissimas pleuritides hyeme, dum boreales flabant venti, saepe observabat: sequitur igitur, illum hyeme, cum illi venti flabant, largissimas saepe instituisse Venae Sectiones: Lommius autem plane contrarium praecipit! Fateor, de singularibus casibus Boerhaavius, de plerisque Lommius forte locutus est: nonne tamen e dictis (*minime* dicere nolo, ne subtilius, quam verius disputare videar) concludere licet, Lommium hyemali tempore inflammationes vehementiores non vidisse, quam Boerhaavius vidit, observationique, quae recentioribus temporibus querelis ansam praebuit, quod nempe hac in regione hyemali tempore tam paucae inflammationes occurrant, quae methodum perseveranter et fortiter antiphlogisticam exigunt, ante tria jam secula, aeque ac hodie, locum fuisse?

Multum etiam abest, ut apud antiquiores nostros scriptores multa gravium pleuritidum inveniantur exempla: non difficile e contrario frequentem perspicere est catarrhalem illarum formam: sic de pleuritide omnino non loquitur Lemnius, qua autem ratione de catarrhorum suo tempore frequentia, supra vidimus: illius igitur tempore, aeque ac hodie, frequentium catarrhorum ratione habita, veram inflammationem raro creabat frigus: et nonne e Foresti effato, Batavis certo quodam loco raro diu persistere dolorem, quin statim occurrat materia, elicere licet, illum etiam pleuritidem siccam frequenter videre non fuisse solitum, illam vero catarrhalis plerumque fuisse indolis?

Hujusmodi igitur fere fuisse epidemicas pleuritides, quae Foresti tempore regnavere, probabile est: „ Nostra aetate" inquit (54) „ peripneumoniam populariter grassatam aliquando vidimus. „ Sic et Dodonaeus bis vidit, Oct. 1557 et Jan. 1565." Et revera binas tantum in suis operibus ejusmodi epidemias memorat Dodonaeus, quas pag. 31. sq. ibi allatorum symptomatum gratia, inter catarrhales recensui, eodem loco de diversa etiam diversorum medicorum in illis epidemiis curandi ratione locutus. Ad caetera de alia pleuritidis epidemia speciatim non loquitur Forestus, nec in ullo etiam illorum temporum auctore de pleuritidis pure inflammatoriae epidemia vestigii aliquid offendi.

Venae Sectionem in pleuritide plane improbasse celebrem Helmontium, ipsumque praejudicatae opinionis poenas tandem luisse, pernotum est: ex composito tamen coecutiens nobis ille dicendus foret, si contendere vellemus, nullam omnino excusationem admittere sequentia illius verba: (55) „ Ego sane nemini pleuritico sanguinem mitto, estque curatio ejusmodi tuta, certa, commoda et „ solida. Nemo illorum perit: ubi interim sub phlebotomo plures longa tandem tabe pereunt et „ quotannis recidivam experiuntur."

Nec defuerunt huic doctrinae sectatores: sic ex Helmontio probabiliter suam de pleuritide theori-

(53) *De cur. febr. cont.* p. 42—44. (54) L. XVI. *obs.* 43. (55) *De febribus.* C. IV. 41.

oriam *illi*que superstructam medendi rationem hauserat van Hadden, seculi decimi septimi medio medicus Vesopiensis: Venae Sectionem in hoc morbo unice eo valere statuebat, quod nonnunquam dolorem minuat: ad caetera illam prorsus damnabat, nec adhibuisse videtur ipse. Becchica et diaphoretica praecipua illi erant remedia. (56). Huic medendi ratione insurrexit van Lamzweerde, (57) veterum defendens methodum; omnia autem, quae doctus ille auctor affert, Haddeni testimonium se absque Venae Sectione per solam diaphoresin multas sanasse pleuritides, non evertunt. Ad sui defensionem alterum opusculum scripsit van Hadden, (58) in quo ad suam sibi experientiam provocans, et Lamzweerdii dictum, pleuritides suas genuinas non fuisse, repellens, litis argumentum, Helmontii fere instar, recte ita posuit: „pleuritide laborantibus cum fausto successu venam fuisse „ sectam, rem non expedit: demonstrandum est, ejusmodi aegrotantes, qui meis remediis tempestive „ usi sunt, mortuos esse aut phthisicos evasisse, non autem illos, quibus vena secta fuit." Porro de certo quodam, nec tamen nominato, experto medico Amstelodamensi ut et de Veenio, medico Harlemensi narrat, (59) quorum uterque absque Venae Sectione pleuritides curare solebat.

Attentione igitur nostra perquam dignum est id, quod centum et viginti annos post, anno nempe 1779 super hac re de Vesopiae urbe et agro dixit doct. Houtman, (60) tunc temporis et adhucdum hodie honoratissimus Vesopiae medicus: ex illius opinione nuncii in Commentatione Bosschiana pag. 230 relator optime dixerat, Vesopiae raro peripneumonias et pleuritides accidere, nisi aëre admodum calido: ipse per tres annos ne unam quidem ibi observabat veram pleuritidem: rheumaticae aut spuriae illi videbantur. Levamini unica satisfaciebat Venae Sectio, et proderant diapnoïca: suspicatur porro, rheumaticarum pleuritidum Vesopiae, Blancardi jam tempore, frequentia factum esse, ut hic, qui etiam ibi per aliquod temporis spatium artem exercuit, in pleuritide Venae Sectionem dissuaserit et diapnoïca adhibuerit.

Si jam experientia duce, eandem prosecutus fuisset viam doct. Houtman, eadem fere illi ac Haddeno *futura* fuisset sententia: quamvis autem iterato etiam, in nuncio pro anno 1780, (61) *veram* pleuritidem Vesopiae se vix vidisse testetur, scribebat tamen anno 1781, (62) ibi tunc temporis multo magis quam praecedentibus annis inflammatorias fuisse febres vernales, ita ut frequentius sanguinem mittere cogeretur: unde suspicari licet, pleuritides etiam, indole quodammodo mutata, illi observatas fuisse: — tali autem modo ratiocinando concludi posset, pleuritides Vesopiae anno 1781 frequentius antiphlogisticam exegisse methodum, quam centum et viginti annos ante, nisi nobis persuasum esse liceret, Haddenum et dein Blancardum aliquantum praejudicata cum opinione rem contemplatos fuisse.

Nec tamen soli illi erant, qui Venae Sectionem in pleuritide minus necessariam vel et inutilem ducerent, nam, ne eos, de quibus loquitur van Hadden, denuo memorem, „ Mihi et commilito„ nibus pluries testatum fuit, Leydense Nosocomium (cui tunc praeerat Sylvius) vera pleuritide „ laborantes, omissa Venae Sectione, sola diaphoresi evasisse," scribebat W. ten Rhyne, (63) dum an-

(56) *VAN HADDEN. Pleuris-genesing sonder aderlaten. bl.* 12. (57) *Nadenkingen op VAN HADDENS enz.*
(58) *Pleuris enz. — tegens LAMZWEERDE vaster gesteldt. bl.* 12. (59) *l. l. bl.* 16.
(60) *Verh. der Corr. Soc.* D. I. *Afd.* II. *a. bl.* 788. (61) *ibid.* D. II. *Afd.* 2. *bl.* 80.
(62) *ibid.* D. III, L, G, *bl.* 358. (63) *Medit. in HIPP. text,* XXIV. *De Veter. Medic. p.* 205.

anno 1679 e Goesa nunciaret J. Verburg, (64) multas tunc temporis curae suae commissas fuisse pleuritides, tam veras, quam falsas, quarum *priorum* ex aëris inconstantia et intemperie („ unde „ saepissime *defluxiones*") natarum multas tam sanguinem mittendo, quam secus, sanaverat, quin et eodem fere tempore M. van Dalen, (65) qui in septemdecim annorum praxi numquam sanguinem se misisse testatur, multas tamen pleuritides sanasse sibi se videri praedicaret.

Quamvis autem non omnia, quae Venae Sectionis illi vituperatores affirmant, toto suo pondere valeant (quod tamen de aliter sentientibus etiam plus minus valet) nonne tamen haec omnia simul sumta demonstrant, seculi decimi septimi medicos a methodi exquisite antiphlogisticae vinculis sese expedire jure ausos fuisse? et nonne ipsa hujus regionis conditio contrariae methodo ansam praebuit, usque adeo etiam, ut dein ab hac parte peccaverint medici? Hos pectoris inflammationes rheumaticas pro veris pleuritidibus curasse, contenderit nullus; non *in omni* enim *casu* adeo difficilis est diagnosis, dum et illae Venae Sectionem saepe exigant, cujus rei luculentum nobis praebet exemplum Dekkers, (66) spuriarum nempe pleuritidum epidemiam, quae anno 1685—1686 hac in regione regnabat: nihil etiam nos moratur illa objectio, cum nostro scopo sufficiat scire, quod, dum certum quemdam morbum strenue antiphlogistice curandum judicarent Fontanus, Zacutus, Lamzweerde caet., ab aliis methodus illa damnata fuerit: nihil etiam impedit, quominus assumamus, ad magnam faustorum eventuum copiam utramque provocare potuisse partem, quatenus nempe indifferens apud Belgas corporis constitutionis character certam quandam in medendo latitudinem permiserit, et utraque pars, e suo sibi systemate agens, in plurimis casibus fausto gavisa sit eventu, dum a damnis, praejudicata opinione nonnumquam partis, averterentur oculi.

Hoc autem ita fieri potuisse, simulque pleuritidum characterem hac in regione valde ambiguum esse, e diversis quoque recentiorum scriptorum sententiis liquet. Boerhaavius, ut supra vidimus, ab hyberno Borea vehementissimas ortas vidit pleuritides: hunc tamen morbum Lugduni-Bat. rarissime valde inflammatorium observasse videtur Swietenus; largiter saltem sanguinem non misit; dum aliquot annos post de Rotterodamo testari veritus non sit Stocke, (67) veram pleuritidem, peripneumoniam caet. ibi vix notam esse: — qui tamen de propositi veritate pauco sibi labore persuasum esse cupit, varios ille in commentatione Bosschiana et Actis Societatis ad Comm. Epist. nuncios evolvat.

E dictis igitur sequi videtur, sive ad pleuritidum frequentiam sive ad illarum indolem et vehementiam attendamus, nullam dari causam, cur inter pristinum et hodiernum tempus magnum statuatur discrimen.

Hisce autem morbis, quibus arctissime connexa est febris, valedicentes, ad illos nos convertamus, quibus praecipuum non est symptoma febris: morbi autem generalis ultimo loco pertractati, Rheumatismi nempe, cum arthritide similitudo ab hac incipiendi idoneam nobis praebet occasionem.

(64) *Blankaart. Coll. med. phys. ofte enz.* D. III. *bl.* 20.

(65) *Nieuwe Practijk der Med. Voorr. en bl.* 230—236. (66) *Alle de werken.* D. I. *p. m.* 305.

(67) *Verh. over de Galziekte. bl.* 27.

DIS-

DISQUISITIO X.

DE ARTHRITIDE.

Quaecumque proxima sit arthritidis causa, illud constat, eam viscerum abdominalium sive omnium sive nonnullorum ex illis affectionem sibi habere conjunctam, et duas potissimum esse causas, quae illam affectionem, arthritidis comitem, pariunt: intemperantiam apud divites, apud pauperes vero cibi pravi, dyspepti usum. Quod si igitur ab arthritide ad populi sanitatem in universum concludi nequeat, a regulari tamen illa ad intemperantiam, omnesque adeo alios morbos ex hoc fonte profluentes conclusio valet, ab anomalâ vero, illa nempe, quae prioris saepius repetitae effectus non est, ad omnes alias aegritudines, quas improbus victus parit.

Arthritidem, intemperantiae prolem, seculo decimo sexto ineunte, frequentissimam fuisse, Jasonis à Pratis sequens effatum implicite docet: „ Dictu mirum" inquit (68) „ quod Hippocrates „ 6o. aph. nec feminis capillos defluere, nec pedes laborare dixit. Atqui etiam decapillantur, ut „ calvae fiant, et a pedibus aegrotant, ut miserrime podagrisent." — „ Jam" sic pergit „ non „ minus (*quam viri*) potitant, non minus voluptuantur, et reluctantibus visceribus per os non „ minus reddunt, vomituque remittunt." Hoc certe effatum nil aliud est, nisi mutata parum Galeni ad hunc Hippocratis locum commentatio: Galenum tamen, non citatum, haud absque ratione secutus fuisse habendus est Pratensis, unde concludere licet, illum arthritidem, intemperantiae sequelam, in feminis etiam saepe observasse. „ Ditiores atque opulenti" in universum scribit Forestus (69) quippe voluptatibus indulgent, ac diversis ferculis, hoc malo (*arthritide*) adeo sese „ obnoxios reddunt, ut ex iis vix se tota vita explicare possint."

Nec melius fuit seculi decimi septimi initio: ditiores et magnates assiduo calculi et podagrae cruciatibus obnoxios vivere scribit Nonnus, (70) in eo causam quaerens, quod optimo pane continuo vescebantur illi, quo additamento prius dictum confirmari mihi videtur; licet enim tanti, quanti Nonnus vult, momenti non fuerit ista causa, illius tamen universitas positi effectus universitatem probare videtur. Eodem tempore de Breda urbe testabatur van der Mye, (71) inter omnes praeter naturam affectus arthritidem et calculum praedominantes se vidisse.

Paulo post idem ac Nonni, Plempii (72) invenimus testimonium, adeo etiam, ut hic illius verba adhibuisse videatur; simul autem vini Rhenani potionem accusat, experientiâ constare dicens, hac in re adeo nociva non esse Gallica aut alia vina: in eadem de vino Rhenano opinione versabantur ten Rhyne, (73) Diemerbroeck, (74) Heinsius, (75) et Blancardus, (76) e quorum ulti-

(68) *De uteris. p.* 199. (69) L. XXIX. *obs.* 4. 1. (70) *Diaeteticon. p.* 10.
(71) *De Arthritide et Calculo. Dedic.* (72) *Fund. med.* L. III. C. IV *et* V.
(73) *De Arthritide caet. p.* 112. (74) *Oper.* T. II. *Obs. p.* 88.
(75) *Verh. van het Podagra. bl.* 261. (76) *Verh. van het Pod. en vliegende jicht, bl.* 29.

timi verbis, illam opinionem vulgo etiam fuisse receptam patet, ita ut vinum illud tunc temporis pro praecipua arthritidis causa haberetur.

Podagrae causam non adeo vinum Rhenanum habebat van Swieten, quam quidem vinum in universum, dum longe plures quam antea hoc morbo afflictos se *vidisse* testetur, (77) postquam vini largior usus increbuisset, et lautiores a generosae cerevisiae usu fere abstinuissent, frugales etiam olim Batavos rarissime podagra laborasse: quaestionibus de vini hac in re noxa, tum et de illorum, qui ante Swietenum vixerant, temperantiâ, sepositis, nec nisi positi a Swieteno effectus ratione habitâ, nescire me fateor, quibus fundamentis historicis suam ille de podagra aucta sententiam superstruxerit, tempore nempe, per quod vitam hic degit ille, detracto, quippe quod brevius fuisse videtur, quam ut tanti momenti rem dirimeret: quin tantum abest, ut podagram post seculum decimum septimum auctam existimem, ut potius in plane contraria opinione verser: largis nempe Pratensis, Foresti, Myii, Nonni, Plempii caet. testimoniis cum multo minoribus e seculo decimo octavo (Swieteni illo excepto) et cum nostri temporis experientiâ comparatis: quibus accedit, diu ante Swietenum multos medicos vinum propriam frequentis podagrae causam habuisse, ipso illo tempore, quo vini abstinentia et, lautiorum etiam, cerevisiae potio podagrae immunitate remuneratae fuisse Swieteno dictae sunt. Ad dictam tamen frequentiam aliarum forte rerum intemperantia plus etiam quam vini usus contulit.

Omnia tamen haec genuinam tantum podagram sive arthritidem regularem, tum et illam anomalam, quae priorem saepius repetitam sequitur, spectant: videamus jam de arthritide erratica, arthritide scorbutica, Vareno morbo, cujus non adeo intemperantia, quam quidem victus pravus causa existit.

Historice non satis liquet, quid H. à Bra, qui omnium, quantum novi, primus de Varenis mentionem fecit, (78) sibi voluerit, cum morbum hunc novum et incognitum, Westphalis, Geldris ac Frisiis quasi endemium diceret: quod (ne de contradictione, quae illis verbis inest, dicam) non aliter explicari posse mihi videtur, ac statuendo, scorbutum tunc temporis fortuito, me judice, auctum, illorum, qui ad scorbutum proclives erant, arthritidem graviorem reddidisse aut aliter immutasse.

Hanc arthritidis speciem non in corpora robusta cecidisse, quae aderant, symptomata scorbutica indicare videntur. Eugalenus Varenum morbum, absque ambitu scorbuticam nuncupat arthritidem (79) ejusque maximam symptomaticam a veterum arthritide differentiam in eo ponit, quod in illo levis semper adsit resolutio, tum et continenter locum mutet dolor, qua loci inconstantia probabiliter factum est, ut Trajectentes huic morbo arthritidis volantis nomen tunc impertiverint.

Semsim sensimque gravis illa arthritidis cum scorbuto conjunctio desiisse, verbumque *Varenus*, pro simplici arthritide anomala usurpatum fuisse videtur: hac saltem ratione optime, me judice, explicatur sequens Clutii effatum: (80) „ Urbis Ultrajectinae aliquot familiae" ita scribebat circa annum, ut videtur 1630 „ atque vicinarum urbium in Provinciâ Trajectensi *incolae*, ante „ annos circiter sexaginta arthritidi vagae obnoxii fuere, eamque Varenum, sive *springende gichte*, „ quasi articulorum dicas transultorium dolorem, *indigitarunt*, causamque *adscribunt* orgasmo succi „ ve-

(77) *Comm.* T. IV. *p.* 295.
(78) *Foresti Opp.* L. XX. *ad calcem.*
(79) *De scorbuto. p. m.* 135.
(80) *Opuscula. p.* 81—83.

„ venenosi, tenuisque penes adustam, pepasmique expertem bilem flatulentam." Perquam hinc manifestum, illos, qui Vareno laborabant, cito observasse, cum organorum digestioni inservientium labe aut debilitatione intime esse conjunctum hunc morbum: cum autem ab altera parte ipsa haec aetiologia ad Varenos pro morbo praetereunte non habendos nos inducat, unde igitur factum est, ut praeterita monstraverit Clutius, J. Heurnii probabiliter observationes respiciens, cum tamen illud *abscribunt* caet. indicet, illum suo etiam tempore existentes duxisse Varenos? pro parte illud explicari forte potest, statuendo, *ante annos sexaginta* hic significare *per annos abhinc sexaginta*; pro parte tamen Clutii verborum confusio in eo etiam quaerenda mihi videtur, quod Trajectensium arthritis volans anni 1630 illi anni 1570 non plane fuerit aequalis, ita ut prior nil aliud significet, nisi nostram corpora debiliora infestantem arthritidem anomalam: Pottio etiam et Schuttio, quorum testimonia in Clutii opusculo (81) obvia sunt, morbus Varenus et arthritis vaga synonyma fuerunt.

Simplici hoc sensu plerumque etiam deinceps occurrit illa vox, maculis et ulcerationibus de quibus locutus fuerat à Bra, non memoratis: eo illam sensu invenimus e. g. apud Broenium (82) et apud Blancardum, (83) qui tanquam synonyma etiam addit arthritidem scorbuticam et rheumatismum (*kouden*), dum morbum in Westphalia antiquitus *varenum currentem* (*loopend vahren*) dictum non nisi scorbutum fuisse, existimaret Cohausen: (84) et profecto, quamvis arthritis volans et scorbutus iidem non sint morbi, illorum tamen causarum ratione habita, omnes illas denominationes, quamvis confusas visas, communi vinculo non carere, facile patet.

Ex frequenti enim illa arthritidis anomalae, aliarumque idem fere significantium denominationum, commemoratione liquet, morbum illum ad dictum usque tempus, maxime vulgarem fuisse, et de anteriore quidem, quem quo ipse vivebat tempore dicere potuisse Hemsterhusium, (85) minime constare Venerem et Bacchum podagrae esse patronos: illam enim in nostris regionibus homines castissimos et abstemios aeque ac incontinentes et helluones saepius adoriri: illam autem podagram saepius arthritidem anomalam fuisse, suspicari licet, cum haec proprie Hemsterhusii opusculo argumento sit.

Sub arthritide illa anomala Rheumatismum chronicum saepe latuisse, quemadmodum et hodie etiam difficilis saepe est illorum distinctio, valde probabile est. Blancardo itaque synonymiam suam plane vitio vertere non possumus, et Boerhaavius etiam diagnosin illam difficillimam habuisse videtur, quippe qui rheumatismum arthritidi, podagrae et scorbuto agnatum dicat: (86) ad hanc etiam hac in regione agnationem probe semper attendendum, quando apud seculi decimi septimi auctores de arthritide legimus.

E disputatis, ni fallor, sequitur, arthritidem regularem olim, quam hodie, magis fuisse vulgarem: anomalam etiam, debilitate et cachexia stipatam, tunc temporis adeo fuisse familiarem, ut, an hodie magis, dubitare liceat. Videamus jam de scorbuto, cujus historia, ut vidimus, cum arthritidis illa satis arcte cohaeret.

(81) *l. l.* (82) *Animadv. in* REGII *Praxin. p.* 686. (83) *l. l. bl.* 102. (84) *Neo-Thea of enz. bl.* 356. (85) *Hist. et analysis Arthrit. vagae. p.* 112. (86) *Aph.* 1490.

DIS-

DE SCORBUTO ET LIENOSIS.

An sua sponte scorbuti et magni lienis cognationem perspexerint seculi decimi sexti medici, an vero illis ansam praebuerit sive integer sive corruptus Hippocratis contextus, (87) determinari nequit: illorum vero sententiam tantum, quantum quidem factum est, a medicis, paucis quibusdam auctoribus, tum et recentissimis nonnullis, physiologis etiam, exceptis, negligi non oportuisse, mihi quidem constat.

Adeo saepe lienem auctum et scorbutum simul existentes observabant illi medici, ut eorum plerique illos morbos pro uno tantum eodemque haberent, qua tamen in re errasse videntur: magno tamen vitio illis verti nequit, quod *semper* statuerent, id quod *plerumque* tantum locum haberet, cum peritissimus etiam suisque ipse oculis cernens van der Mye e suis observationibus concluderet, non necessario in scorbuto statim adesse lienis intemperiem, tractu tamen temporis illam succedere, quamvis crebrius scorbuto illam praecedere, illiusque causam esse, non inficiaretur. (88)

Cum autem posita illa dictorum morborum cognatio non plane spernenda sit, quae de chronicis lienis morbis annotata reperiuntur, huic de scorbuto disquisitioni immisceamus; id quod praeterea et patitur nostrum argumentum et jubet ipsa res: 1°. quoniam aeque ac aliorum morborum, sic etiam scorbuti historia non adeo per se nobis momentosa est, quam quidem propter notam et constantem illius cum viscerum hypochondriacorum labe aut infirmitate, cumque ex hoc fonte ortis tam corporis quam animi affectionibus, affinitatem: cum enim constare videatur, quamvis explicari forte nequeat, in universum in humidis et paludosis tantum Septenrrionis regionibus mala illa scorbuti induere formam, haec non nisi accedens quaedam circumstantia est, praecipuumque argumentum dicta constituunt mala. 2°. Quoniam morbus ille, qui Scorbutus nobis dici solet, ab antiquissimis nostris medicis illo nomine plerumque non fuit designatus, verum Stomacace, Sceletyrbe, Splenitis, Lien magnus dictus.

Seculum decimum sextum circiter medium insoliti quid, quod ad scorbutum attinet, obtigit: quid proprie fuerit, obscurum est et vernaculi auctores minime docent: pro fortuitu tamen tantum aggravato et aucto morbo equidem habeo: illa autem imprimis occasione scorbuti nomen hic introductum fuisse videtur; harum rerum illustrationem praebitura sunt sequentia.

Inter raros casus annumerandum esse *scorbutum* dicebat Dodonaeus, (89) id quod, cum admodum vulgaris tunc temporis esset morbus *magnus lien*, eo forte explicatur, quod meridionales tantum Belgii plagas ob oculos habuerit: attamen et aliud quid significare potuit, cum haud longe an-

(87) *De int. aff. cap.* 48. *Coll. cum Prorrhet.* L. II. *cap.* 16. (88) *De morbis — Bredanis. p.* 52.

(89) *Medic. observ. p. m.* 57. *sqq.*

ante annum 1583 illa verba scripsisse videatur, mox autem visuri simus, scorbuti, qui, illo teste, anno 1556 per secalis corrupti usum apud Brabantos irrepserat, vehementiam, anno jam 1564 multum imminutam fuisse. Non tantum Frisiis et Danis, verum etiam Hippocrati antea cognitum fuisse scorbutum, suspicabatur ille, nam, „ Recentior aetas" inquit (90) „ scorbutum „ (*nuncupat*) et ex prava victus ratione atque ex frumento et maxime secali corrupto originem „ hunc habere censeo. Hippocrates vero et ab olerum usu fieri et ab aquae potu Lib. de internis „ affect. scribit." Constat igitur, Dodonaeum jam pravam haematosin et nutritionem pro proxima hujus morbi causa habuisse: quam etiam paratissimus plerumque esset ad sanguinem mittendum, hoc saltem in morbo Sydenhamo non praeivit, semel tantum id se fecisse testatus.

Scorbutum Dodonaei tempore apud Batavos non rarum fuisse, imo plane contrarium locum habuisse, e Lommii, Foresti, Heurnii, (91) aliorum testimoniis patet.

Lommius, qui aliquantum etiam Dodonaeo aetate antecessit, magnos lienes Batavis frequentes testatur, unde caterva malorum, sub scorbuti nomine cognitorum. (92)

Lienis etiam morborum occasione amplissime de scorbuto (*nostro sensu*) disputat Forestus, (93) cujus rei supra pag. 3 luculentum attuli exemplum, in quo tamen vox *scorbutus* non occurrit. *Lienem durum* in Batavia plurimum inveniri alibi dicit, ob victum crassum melancholicum, crassamque et feculentam cerevisiam, tum et ob aërem crassum: imprimis autem nautae (quamvis Batavae gentis flos et haberi et dici plerumque soliti) morbo illo laborabant, quum praviori etiam navigantes, quam domi uterentur victu, id quod alibi de Frisiis etiam nautis affirmat: ex omnibus autem hisce patet, non tantum valde frequentem, verum et omnino endemium illi visum fuisse censendum esse hunc morbum.

De *scorbuto* tamen ita loquitur. (94) „ Hic morbus non solum antea incognitus fuit, sed „ multi eo laborantes interierunt. Sic Martinus Dorpius, Theologus Lovaniensis, ejus loci medicis „ stupescentibus et non cognoscentibus." Hoc loco de *liene duro* sermonem non esse, unusquisque agnoverit; morbum epidemicum illum probabiliter significavit Forestus, de quo modo locutus sum, et de quo pluribus infra. Nonnullis tamen locis Forestus sive rerum similitudine sive aliorum auctoritate ductus novum vocem *scorbutum* usurpat, ut morbum designet, quem alioqui lienem durum, stomacacen, sceletyrben dicere solet.

Secundum illum (95) in Hollandia septentrionali et Amstelodami, (quibus et Frisiam addere licuisset) omnium plurimi inveniebantur scorbutici, praesertim inter nautas: nec mirum, cum duplex adesset causa: propter soli, quod habitabant, naturam aliquantum jam scorbuto laborabant: navigantium plerique, quando in altum se dabant; aggravata jam illa qualicumque scorbutica valetudine, regionem semper repetebant, cujus solum, aër et incolarum vivendi ratio ad scorbutum sanandum idonea non erant: melius tamen illic quam alibi restitutos fuisse, testatur Forestus: hoc vero de meliore tantum medicorum, multiplici experientia edoctorum, medendi ratione dixisse Forestum, equidem statuo. Aliter res se habebat cum medicis, „ qui non adeo multos scorbuticos

„ prae

(90) *Prax. med. p. m.* 521. (91) *Opp.* T. I. *p.* 47. (92) *Obs. med. p. m.* 57.

(93) L. XX. *Obs.* 7. *schol.* 4. *Obs.* 8. 11. 12. *coll. cum* L. XIV. *obs.* 16.

(94) *ibid. obs.* 11. (95) *ibid. No.* 59.

„ prae manibus habuerant, inter quos praestantiores etiam essent, qui de ejus essentia dubitarent." Cujus rei exemplum affert Forestus, de quodam Sasboto dicto: Hagenses medici ne cogitabant quidem de scorbuto, nisi postea Nannio medico Amstelodamensi accedente.

Absque eo autem, ut contendatur, scorbutum, prout anno 1556 in Brabantia, et alibi etiam circa illud tempus, caput erexit, et subsecutorum temporum scorbutum diversos plane morbos fuisse, gradu tamen illos plurimum inter se distulisse, largiendum est: dum supra dicta omnia explicari tantum posse videantur, statuendo, quod, dum ab antiquissimis inde temporibus hac in regione regnavisset scorbutus, certum quoddam temporis spatium fuerit, quo ipsius generationi et malignitati maxime faverint insolitae quaedam causae.

Pro hisce autem militant non tantum scorbuti ulterior historia et aetiologia, verum et sequentia Lemnii, testis ocularis, dicta: „ Novis subinde morbis nova sunt remedia comminiscenda. Quod „ in lue Venerea, in — sudore Britannico, in Ictero nigro, *cujus symptomata sunt Stomacace et* „ *Scaelotyrbe*, nuper factitatum novimus." (96) — „ Tres sunt morbi inter se affines et cognati. „ Lues Venerea, Elephantiasis, tum is, qui Stomacace et Scelotyrbe dicitur. Quorum genus est „ Icteria nigra. Hi superioribus annis intolerandis modis homines excarnificabant: nunc prorsus „ mitescere coeperunt, minusque infesti sunt." (97)

Cum autem haec ante annum 1564 scripsisse videatur Lemnius, inde jam sequi videri posset, scorbutum illum, cujus originem anno 1556 ponit Dodonaeus, non diu vehementem fuisse, atque adeo pro morbo epidemico rectissime haberi: praeterea vero manifestum est, illud, quod ambo illius temporis auctores, qui ex professo de scorbuto scripsere, et, quod bene notandum, septentrionales coluere provincias, Ronsseus nempe et Eugalenus, de illo dicunt, de mitiori ejus forma, et de illa fortasse quidem, quae pristinis temporibus sub ejusmodi rerum statu semper obtigerat, intelligendum esse.

Anno enim 1580 suum *de scorbuto* librum Eugalenus scripsit; anno 1563 opusculum *de magnis Hippocratis lienibus caet:* Ronsseus, in cujus epistola dedicatoria quidem dicit, se explanaturum esse id, quod octo annos ante in epistola super hoc argumento (illa probabiliter, quam ad H. Junium, aut illa, quam ad C. Heydium scripsit) divulgasset, non vero, post octo illos annos, quorum tamen primus ipse annus 1555 vel 1556 est, mitiorem se scorbutum deprehendisse indicat. Scorbutum, magnum lienem et Frisiorum, secundum Plinium, Sceletyrben pro uno eodemque morbo habebat Ronsseus: de cujus causis quid opinatus fuerit, sequentia docent: „ Quando Aëtius" „ ait ille (98)" aquae largiorem potum et holera humectandi vi praedita ad splenis magnitudinem „ magnopere conferre dicat, — cur nobis non liceat dicere, Hollandis tum ob victus intemperan- „ tiam, tum ob aëris locique qualitatem (ut corporis constitutionem *laxam* quodammodo et *fun-* „ *gosam* omittam) maxime esse infestas splenitides: satis enim superque notum est, eosdem cibis „ *nimis quam melancholici* succi vesci. — Nam praeterquam aquaticas volucres, quarum apud ip- „ sos quotidianus usus est, etiam fumum, si dicere liceat, deglutiunt, dum bubulas carnes sale „ prius conditas, fumo exponunt atque easdem comedunt: ferculum mehercule, si quod aliud, „ melancholico succo materiam suppeditans. — Caeterum anni constitutionem ad lienis augmentum „ fu-

(96) *De miraculis occultis naturae. p. m.* 120. (97) *ibid. p.* 174. (98) *Opusc. med. p. m.* 18.

„ facere dicimus, quod etsi omnibus tempestatibus invadat, longo tamen rerum usu et experientia „ edocti comperimus, humidum atque austrinum coeli flatum ad lienum excrescentias plurimum „ facere. Anno enim 1556, quum toto anni decursu pluviae imbresque essent, flaretque Auster „ ac Favonius, insequente anno plurimos sceletyrbe ac stomacace invasit, atque ita invasit, ut „ multos in vitae discrimen adegerit; et ne longius petantur exempla, anno 1562, cum pluvium „ esset coelum, subsequente anno frequentissimas et molestissimas vidimus sceletyrbes et stoma- „ caces. *Ut hinc manifestum prorsus sit, morbum hunc semper quidem esse Endemium, — in-* „ *terdum etiam Epidemicum, non tamen pestilentem.*"

De lectoris attentione prorsus dubitare viderer, si ea, quae huic loco notatu digna insunt, explicare satagerem. Hoc igitur tantum insuper de Ronsseo dicam, eum, ut illis, quos semel invaserit scorbutus, ad prophylaxin ineunte vere vena tundatur, monere, hanc tamen admonitionem e Galeno hausisse videri.

Quod jam ad Eugalenum attinet, scorbuto in febribus et variis, quin plerisque, aliis morbis justo ampliores illum partes tribuisse, negari nequit: — hujus regionis e. g. febres pervadentem debilitatis characterem, illarumque a veterum febribus discrepantiam observans, de illa re eatenus immerito scorbutum accusabat, quatenus et hunc morbum et illum febrium characterem remotiori, iique communi causae, aequalium nempe corporis constitutioni et vivendi rationi adscribere illum oportuisset. Multa igitur illius libro objici possunt; egregius nihilominus, me judice, habendus est auctor, et quod ad simplicis scorbuti historiam attinet, absque dubio testis est, qui nostrum carere nequit argumentum.

In Frisia et adjacentibus Germaniae tractibus scorbutum observabat. Pro causa proxima hypochondriacorum habebat viscerum obstructionem; pro causis remotis aërem, aquam vitiosam et nauticam victus rationem, cum his evacuationis solitae suppressionem et tristitiam diuturniorem: (99) qua ex illorum temporum infelicitate omnium perfundebantur animi, moestitiam probabiliter hic significat, cum a temporum angustiâ incrementum cepisse scorbutum sibi videri, diserte alicubi testetur. (1) Ipsius medendi ratio e supra dictis facile colligitur, quare unum illud tantum afferam, quod, dum in illis, quibus crassior in venis redundaret sanguis, vel quibus consueta sanguinis evacuatio substitisset, Venae Sectionem non respueret, largius tamen factam, Wierum secutus, damnaret: quod imprimis notandum, inquit, de locis frigidis et humidis, qualia in Frisia tam occidua quam orientali et pleraque Hollandiae loca. (2)

Ne diutius nos moretur scorbuti seculi decimi sexti descriptio, non nisi hoc unum addam, illum morbum hac in regione familiarem, non autem novum duxisse J. Heurnium. (3)

Ex omnibus iis, quae e citatis auctoribus, qui omnes anno jam 1555 viventes testes oculares fuerunt, aut saltem paulo post in rem optime inquirere potuerunt, attuli, magis quam probabile, me judice, fit, scorbutum, qualem hodie videmus, diu ante illud tempus morbum vulgarem et endemium fuisse et pro visibili, ut ita dicam, imagine haberi potuisse illius inter sanitatem et morbum intermedii status, qui adeo saepe, imprimis apud excultas gentes, locum habens, pro lo-

(99) *l. l. p.* 3 *et* 4. (1) *l. l. Epist. dedic. p.* V. *et p.* 227. (2) *ibid. p.* 111 *et* 151.
(3) *Opp.* T. II. *p.* 44. *coll. c.* T. I. *p.* 35.

locorum temporumque differentia aliam atque aliam formam induit et in hac nonnullisque aliis regionibus levioris scorbuti forma conspicuus est.

Verisimile porro est, insolitarum rerum concursu, frumenti vitiosi usus, (Dodonaeus, alii) aëris tepidi et humidi (Ronsseus) et moestitiae ob temporis augustias (Eugalenus) paulo post seculi decimi sexti medium tantopere aggravatum et auctum fuisse endemium illum morbum, ut, praesertim inde, quod in variis tractibus, e. g. Brabantia, ubi antea vulgi saltem aciem fugisset, manifesto jam prodiret in lucem, ut inde, dico, novum esse morbum, multos subierit cogitare: illam tamen scorbuti vehementiam haud diuturnam fuisse et minimum jam ante annum 1564 *prorsus mitescere* coepisse, ut supra Lemnium testantem vidimus.

Veram esse propositam scorbuti illius epidemici aetiologiam, historia docet, postea etiam infelici rerum concursu ejusmodi quid accidere potuisse, monens: in testimonium mentionem lectu dignissimam adduco, quam de scorbuto Bredae urbem, cum annis 1624—1625 ab exercitu Hispano obsidebatur, infestante, nobis reliquit praestantissimus van der Mye, (4) quippe quae doceat, arctioribus limitibus penitus eadem hic obtigisse, ac annis 1555 aut 1556 sqq. latioribus alibi: nam ut illic, sic etiam hic tempus, locus, aër madida, victus pravissimus, et tristitia praecipuae fuerunt causae scorbuti adeo gravis, ut prae aliis etiam morbis et cives et milites interemerit.

Ad seculi decimi septimi scorbutum jam transeuntibus, alius se nobis evitandum praebet scopulus, vocis nempe *scorbuti* per posteriorem illius seculi dimidiam partem abusus.

Hujus autem, quemadmodum van der Mye, sic nec Beverovicius, Lindenius et Sylvius fuere participes, quorum omnium igitur testimonia integra valent.

Paucos suo tempore sive scienter sive inscienter a scorbuto immunes affirmabat Beverovicius: (5) quot etiam numero cibos splenitidem et scorbutum producentes censeret, ex ipsius *Sanitatis Thesauro* liquet: tum imprimis attentione dignum est, id quod speciatim de pisis dicit, (6) nervis scilicet tum et iis, qui molles et spongiosos dentes haberent, inimica illa vulgo haberi, cum, sive valeat haec aetiologia, sive minus, maxime vulgaris tunc temporis illius cibi usus, dictorum morborum frequentiam arguat. — Scorbuti in Frisia endemii causam crassam et crudam vivendi rationem habebat Lindenius, (7) nec dissimilis Sylvii fuit sententia statuentis, cachexiam scorbuticam in Belgio familiarem a frequenti ac perpetuo fere carnium pisciumque muria conditorum aut fumo insuper induratorum usu ac abusu pendere. (8)

Majoris momenti, quam ut illa omittamus, duo sequentia, Vormii et Dinghenii sunt testimonia: ille et sua sibi experientia et medicorum consensu nisus scorbuti causam in liene, idque in illius siccitate quaerebat: porro addit: (9) „ Splenes nostratium fere admodum sicca, sed non „ ita tamen calida intemperantia laborant." E quibus verbis liquet, acutam splenitidem raro hic observasse Vormium, apud plerosque vero homines chronicam lienis aegritudinem, nisi potius illum sic statuisse ponamus, ut scorbuti explicaret frequentiam.

Hollandorum et Zelandorum sanitatis conditionem efferri non sinit modus, quo de illa loquitur

(4) *De morbis popularibus Bredanis, tempore obsidionis.* p. 5. 52 et 54. (5) *Alle de wercken.* D. I. p. m. 97.
(6) *ibid.* p. 93. (7) *Medulla medic. Pars pathol.* p. 35 et 112. (8) *Opp.* p. m. 713.
(9) *Atriplex salsum* p. 81 et 90.

tur Dinghenius, qui etiam hac de re lienis affectionem accusat: „ Hollandis" inquit (10) „ et „ complexionibus frigidioribus (*lien*) crassus et magnus: — (*scorbutus*) Hollandis et Zelandis „ morbus proprius: quibus ne unum Aristotelicum valet elementum, — — ita ut talia corpora „ minus nitida, quamvis domus nitidiores et splendidae et pretiosae sunt, quia sanguis talium „ multa recrementa lieni relinquere debet." Quam universalia et gravia haec sint verba, cuivis manifestum.

Circa hoc tempus nota illa verba enunciabat Sydenham: (11) Scorbuti nomen, uti hodie fit, „ in immensum crescet, et omnem fere morborum nemerum absolvet." Quamvis seculum circiter antea abusum illum introducere coepissit Eugalenus noster, hac tamen in regione ulterius non proserpserat, et quamvis nostri auctores ad Sydenhami usque tempus saepe, et jure illi, de scorbuto loquerentur, in illos tamen magni viri reprehensio non cadebat: qua, ut videtur, in cives potissimum advertit: tandem tamen et inter nostros auctores, Anglicos imitatos, exemplorum satis invenire potuisset.

Quamvis autem modum illos excessise persuasum nobis fuerit, propterea tamen illorum testimonia prorsus rejicere non licet, et quamvis illos morbos, quos scorbuti effectus praedicabant illi, omnes inde non oriri statuendum, ex illorum tamen testimoniis sequi videtur, illos in divertissima ratione aegrotantibus corporis constitutionem plus minusve scorbuticam offendisse. Sic, quid de scorbuti hac in regione frequentia, et in febres imperio senserit Matthaeus, (12) Ultrajecti quidem Professor, supra vidimus.

Ridiculum certe erat, qui tantum non omnia ad scorbutum referret Bontekoe, (13) quamvis, theoriae ratione habitâ, aliquantum excusandus: in glutinosis enim crassis et acribus humoribus illum consistere morbum docebat, ad quem exuberantissimam igitur Theae infusi potionem commendabat: et certe primarum viarum conditio et viscerum hypochondriacorum infarctus de glutinosis, crassis humoribus opinioni favere, illique addictis scorbuti imperium multum increscere non potuit non, hac imprimis in regione, in qua id genus affectiones semper adeo familiares fuerunt.

Blancardus etiam scorbutum nimis culpabat, minori licet gradu, quam Bontekoe: non male alicubi dicit: (14) „ Plurimos novi sobrios, qui quotidie lacte ebutyrato utuntur, parum se „ exercent, plane exarescunt et nihilominus — scorbuto graviter laborant." Et hercle, quamvis omnium temporum testimonio victus crassi usus sive potius abusus praecipua existat scorbuti causa, haec tamen non unica est. Aliis multis in regionibus, aut admodum fausta sub rerum conditione, tenuiorem solum justo victum scorbutum provocare posse, probabile non est: hic vero rerum conditio non favet. Bonam nutritionem exigit regionis indoles, ut climati aspero et labori improbo, sine quo nulla Batavia, ferendis, pares sint corpori vires: nutritio illa si deficiat, debilitatur corpus et hujus exercitatione intermissa, hic scorbuto janua patet. Quod ad gentilitium illum cibum, lac nempe ebutyratum, attinet, inter praecipuas nostratium scorbuti causas il-

(10) *Fund. phys. med.* L. II. *c.* 10. (11) *Opp. p. m.* 276.

(12) *Disp. de scorbuto.* (13) *Alle de wercken.* D. II. *bl.* 138.

(14) *Verhand. van de scheurbuik. bl.* 30 *et Opp.* T. I. *p.* 304.

illum jam habuerat Ronsseus, dum Zaffio (15) et imprimis Muntingio (16) de contrario persuasum fuisse videatur: quorum posterior morbum illum potissimum apud illos grassari dicit, „ qui „ vinum non bibunt, verum quibus continuus cerevisiae potus est, praecipue qui in *seri* defectu „ vel aquae decoctae crudam aliquando degustant." Parvi mihi momenti hujus litis argumentum videtur: verum ex eo, quod carnem et pisces salitos et fumo induratos, pisa, lac ebutyratum, cerevisiam et aquam non coctam aliosque indigenas cibos, quin et ipsam sobrietatem, at desidiae junctam, deinceps scorbuti causas praedicatos inveniamus, magnas hic seculo decimo sexto et decimo septimo scorbutum partes egisse, manifeste patere videtur.

Barbette, quamvis non pro seculi more omnes a scorbuto derivaret morbos, statuebat (17) tamen in his regionibus raro occurrere morbum, cui non aliquid scorbuti se adjungeret: scorbutum definit pravam, totius corporis nutritionem, dum in universali viscerum, hypochondriacorum affectione illius causam ponat. (18) — Non dispar Bouweri (19) praecedentis seculi initio fuit sententia, qui magnam morborum copiam a scorbuto derivans, ut recta vivendi ratione omnes illi morbi et miseriae avertantur, monet, *tali modo saniore creato populo.*

Quid jam ex universali illa, posteriori seculi decimi septimi dimidio, de scorbuto mentione eliciendum? an ita fuit, quoniam vehementiori gradu amplius non saepe occurrebat, per illum tamen omnia explicandi mos semper adhuc vigebat? An vero revera major etiam, quam nostris diebus, frequentia in causa fuit? non facile dirimenda res, utrumque vero concurrisse mihi videtur.

Splenis aegritudinem semper scorbuti causam esse, statuebat adhuc Blancardus: ab illo vero inde tempore ambos illos morbos magis ab invicem discernere nonnulli, ineuntis praesertim seculi decimi octavi, coeperunt scriptores: sic, quamvis non optime, Buyzen. (20) Ut, qui humorali, quam dicunt, pathologiae addictus esset, scorbutum contemplabatur Boerhaave, itidem Oosterdyk Schacht; qui tamen fatetur, lienem magnam in molem excrescentem mirabilia habere et scorbuticis simillima symptomata, (21) Absque lienis affectione nonnumquam scorbutum inveniri, censebat van Swieten, (22) dum tumorem lienis saepe cum scorbuto, melancholia, alisque organis tumentibus confundi, statueret J. de Gorter. (23)

Insigniter etiam haec quatuor illorum celeberrimorum virorum enunciata, multorum e recentioribus hujus regionis medicis opinionem immutasse videntur: quippe, ut postea chronicis lienis morbis aeque attentos inveniamus medicos, multum abest: saepe adhuc illos occurrere, docet illius, quod recentioribus temporibus literis proditum est, accurata perpensio, tum et quotidiana, me judice, experientia: minor tamen illa mentio nonne aliquantum jam faustam, quod ad illos morbos tum et ad scorbutum attinet, mutationem arguit, sive scorbutus semper aut plerumque lienis morbosi effectus statuatur, sive gravior pristinorum temporum scorbutus conjunctio habeatur scorbuti levioris cum lienis tumidi sequelis, quae, Oosterdyk Schachtio judice, adeo similia sunt?

(15) *Synopsis obs. med. de medicam. viribus. p.* 23. (16) *De herba Britannica. p.* 141.
(17) *Alle medic. wercken. Praxis. p. m.* 125. (18) *ibid. bl.* 121. (19) *l. l. bl.* 128.
(20) *Practijk der Med. bl.* 240. (21) *Inst. med. pract. p. m.* 49 *et* 206.
(22) *Comm.* T. III. *p.* 591. (23) *Prax. med. syst.* T. II. *p. m.* 46.

sunt? *mihi* utique probabile videtur; videamus autem, quid de sibi observato scorbuto recentiores dicant auctores.

Sequentia habet Boerhaave: (24) „ Veteres medici Batavi dixerunt omnes morbos chronicos „ duam tertiam partem esse scorbutum, ejusque productum, et in Anglia idem obtineret, sed cum „ incolae magis vinis et recentibus carnibus utuntur, hinc illi morbo non adeo sunt obnoxii, „ unde etiam venit, quod nunc in Hollandia illa non adeo est familiaris, quam solebat." Scorbutum hac in regione, victus ratione mutata, (quamvis vini et recentium carnium usum, quippe, et hodie etiam, non ubique familiarem, primo non loco positum vellem) imminutum fuisse, admodum probabile; nisi vel ob unum hoc, quod illius nauticae victus rationis, quae majoribus certe magis quam hodie in usu fuit, sequelas et nunc etiam experientia monstret. — Verum illa, de qua Boerhaave loquitur, pristinorum medicorum sententia, an multum quidem demonstrat? Quosnam potissimum medicos designare voluit Boerhaave? Totam rem absolvere Eugalenus nequit, solus est, nec ejus opinionem aequalium, quodcumque caeteroquin sentientium, ullus tuetur. Non nisi post seculi decimi septimi medium magnus ille de scorbuto clamor incepit, quamvis victus ratio non majorem tunc, verum minorem contra, quam seculo illo ineunte illi ansam praebuerit: quo praeterea de scorbuto loquuntur illius temporis medici, modus, nonne nos monet, ne illorum de scorbuti familiaritate effatis plenam fidem habeamus? — Latiorem caeterum illam vocabuli *scorbuti* significationem plene missam non fecisse ipsum Boerhaavium, novimus: et cur veteres Batavos medicos memorabat? Sententiae illis adscriptae defensores inter sui aequales etiam invenire potuisset, cujus rei exemplum praebet Bouwer, dum in scorbutum etiam febrium epidemiae annis 1719 et 1720 Leovardiae grassantium nec nisi febres autumnales saburrales referentium culpam conjecerit Ydema. (25)

Quamvis nimium igitur Boerhaavii illa verba demonstrare mihi videantur, nec tantum, quantum indicat, illius tempore imminutus fuisset scorbutus, imminutus tamen fuerat: de hoc mihi persuasum est, partim, quod vaga, quam sibi tot e posteriori seculi decimi septimi dimidio scriptores de scorbuto formabant, sententia valde obscuratur perfecte definita illa antiquiorum medicorum, qui tamen uno omnes ore illius morbi frequentiam maximopere questi sunt; partim, quod illa victus rationis mutatio, quae magis magisque scorbutum imminutum comitem habuit, sat magnum jam temporis spatium ante Boerhaavii illam scriptionem incepit.

Ut dicta illustrentur, ad scriptorum seculi praeteriti, illorum praecipue, qui *scorbutum* vocabulum latiori sensu non habuerunt, testimonia attendamus. Multos apud Batavos, quibus hyberno tempore carne ac lardo salitis vivere moris erat, exeunte hyeme scorbuto satis male se habere, tempore tamen verno vegetabilium usu sanari statuebat van Swieten. (26) Aliis sane etiam causis, veluti aquae, locis depressis, totique vivendi generi, quod egregie depingit, scorbutum ulterius adscribit; (27) quis tamen e prius citatis illius verbis non videt, verum scorbutum non adeo frequenter illi observatum fuisse, ac seculum quidem unum vel unum et semis ante licuisset.

Circa illud tempus minus vehementem quam antea scorbutum stabuebant etiam de Haen et Hogeveen: unicum hoc lucratos fuisse foederati Belgii incolas e potuum aquosorum calidorum usu pri-

(24) *Prax. med.* T. V. *p. m.* 102. (25) *Brev. sent. de febribus annis* 1719 *et* 1720 *grass. p.* 12. *sq.*
(26) *Comm.* T. III. *p.* 626. (27) *ibid. p.* 595.

prior, (28) e fructuum horraeorum extra tempus abusu posterior (29) censebat: quis tamen est, qui illud lucrum hac in regione minime spernendum esse, non sentiat? manifestius tamen id ex infra dicendis patebit.

Scorbutum terrestrem sive *morbum depereuntem* sibi dictum augescere existimabat Stocke: (30) flocci tamen pendenda haec existimatio, talis nempe, qualis ab auctore proponitur: scorbutum enim suum terrestrem a maritimo distinguebat, et nihilominus Ronssei scorbuto aequiparabat: tum et modum excessit: scorbuto nempe illo terrestri maritimarum imprimis provinciarum incolas laborare dicit, Hollandos autem septentrionales magis quam meridionales, et minus etiam Trajectenses: Ronssei porro testimonium confirmat, qui, scorbutum Amstelodami magis et Alcmariae quam Rotterodami et Goudae inveniri, ducentos annos ante dixerat: haec omnia ferri possunt: cum vero de Rotterodamo dicat, (31) sanae sedis exemplo fore hanc urbem, nisi et hic *saeviret* scorbutus, hunc Amstelodami et Alcmariae *plus quam saevire* oportuisse ultro patet: magis magisque praeterea, si vera esset Stockii aetiologia, accrescere oportuerat scorbutum: plane vero contrarium docuit experientia: doct. enim Nieuwenhuysii (32) assertioni, Amstelodami magis magisque decrescere scorbutum universalem, non facile medicorum ibi degentium ullus contradixerit.

Quamvis veterum stomacacen et sceletyrben et nostratium scorbutum unum eundemque morbum esse non certo constet, illas tamen denominationes promiscue usurparunt antiquiorum auctorum plurimi: nonne, tempus fuisse, hoc demonstrat, quo illis vehementia par fere esset scorbutus? Si vero demonstrat, scorbutus mitior redditus habendus est, si saltem constet, ut constare videtur, id quod M. van Phelsum, Frisius, dixit, (33) in Frisia nempe aeque ac alibi vix, si ulla, stomacaces et sceletyrbes, quibus in Frisiorum regionibus affecti fuere milites Romani, vestigia inveniri, quamvis et Frisiis familiarem morbum esse scorbutum non negaverit.

Eadem autem cum hoc morbo res est, ac cum tot aliis, quibus non admodum definita est forma: e varia contemplandi ratione variae nascuntur dijudicationes, quamvis saepe etiam certis quibusdam, non facile aliquando determinandis, eo tamen non minus veris, locorum, temporumque conditionibus nitatur haec differentia: — sic scorbutum non tantum hac in regione familiarem statuisse videtur van Doeveren, (34) sed vehementiorem etiam, quam statuerunt aequalium multi. Inter illos, quibus plane contrarium persuasum erat, inveniuntur van der Haar, qui scorbutum *apud vulgum* morbis nervosis locum cessisse existimabat, (35) et Camper, qui *foedum illum et universalem seculi decimi septimi morbum* propter copiosiorem vegetabilium usum vix amplius obvium censebat. (36)

Quantopere autem tantos viros revereamur, hac tamen in re illis assentiri nequeo: quot non plures et ipsi egregii medici non aliter sentiunt. Evolvantur nuncii super hoc argumento a van den Bosch collecti: consulantur in actis societatis ad Comm. Epist., ut exempla memorem,

Mac-

(28) *Prael. in normn. Inst. pathol.* T. II. *p.* 32. (29) *Spec. de causis productioris antediluv. aetatis. p.* 64.
(30) *De kwijn. ziekten der Nederl. bl.* 42. 70 *en* 71. (31) *Verh. over eene in Zeeland heersch. Galz. bl.* 17.
(32) *Topogr. van Amsterdam. bl.* 66. (33) *Verh.* D. I. *bl.* 141. (34) *Sermo de sanit. Groning. praes. p.* 27.
(35) *Proeve over de herzenen. Bijgev. Waarn. bl.* 58. (36) *Diss. de morb. chron. pulm. cap.* IV. § 4.

Macquet (37) de Ziriczea, Willemse (38) de Harlemo, Röbol (39) de Enchusa, du Pui (40) de Campis: conferantur porro Berkhey (41) de Hollandia septentrionali, et in specie de Waterlandia, Coopmans (42) de universa regione, Sebastian (43) de Campis, Numan (44) et Mignon (45) de Groninga et Ommelandia, van Rotterdam (46) de tractibus paludosis generatim, adjunganturque, qui paulo ante van der Haar et Camperum vixere, supra citati auctores, et scorbutum morbum endemium et esse et semper quidem mansurum, unicuique persuasum erit.

Omnibus igitur inter se comparatis, nobis hoc tempore, magis etiam quam suo Hoogeveenio et Haenio, statuere licere mihi videtur, scorbutum hodie quam olim minus gravem, minusque frequentem esse, etsi illum vix amplius occurrere, van der Haar et Campero non concedamus: utique enim occurrit, non autem illo, quo olim, vehementiae gradu, testantibus directis nonnullorum assertionibus at parca simul in universum observatione, testante ipsa medicorum super scorbuti frequentia dissensione.

DISQUISITIO XII.

DE SCROPHULA ET RACHITIDE.

Quod ad hanc magni momenti materiam attinet, pristina tempora cum hodiernis comparare, propter annotationum penuriam, difficillimum: varias, quae isti penuriae ansam praebuere, causas sequentia docebunt.

Attentione dignissimum mihi videtur sequens unius ex antiquissimis nostris scriptoribus, Jasonis nempe Pratensis, effatum: (47) „ Hoc mihi certum" inquit „ et exploratum habeo, „ pueros valitudine improsperiori vivere, quibus capita tam anxia fotione communiuntur. Si„ quidem inter liberos septem unus nobis facie hilari ac liberali, ingenio dextero, indole bona, „ sensibus vegetis, habitudine prorsus inculpata. Hic — semper sine galericulo nudatum caput „ objectat, et cum caeteros nonnumquam aut febriculae, aut strumulae, aut glandulae, aut scabies „ aut tubercula alia corripiant, hic alacris inoffensa valitudine perdurat."

Mi-

(37) D. I. *Afd.* II. a. *bl.* 156.* (38) *ibid.* b. *bl.* 648. (39) *ibid. bl.* 819. (40) D. III. *Laatste ged. bl.* 327.
(41) *Nat. Hist. van Holland.* D. III. *bl.* 917 *en* 1612. (42) *Or. de med. indig. in Opusc.* T. I. *p.* 205.
(43) *Ueber die Sumpfwechselfieber. u. s. w. S.* 5. (44) STIPRIAAN *enz. Geneesk. mag.* D. V. *st.* 3 *bl.* 76.
(45) *l. l. p.* 11. (46) *Mem. sur la saignee. p.* 46. (47) *De Uteris. p. m.* 169.

Minutam quamdam circumstantiam aut prolatam in transitu sententiam, modo rite perspectam, plus aliquando lucis spargere, quam magnas documentorum ambages, non est, quod dicam: et nonne ita res se habet cum citatis Pratensis verbis? momentossima equidem illa habeo, quippe quae, in illa re, de qua agunt, apud majores non multo aliter quam apud nos fuisse, indicare mihi videantur. Nonne in tecta puerorum capita invehentem aliquem recentioris temporis Paedagogum audire nobis videmur, iisque inique satis malorum catervam adscribentem, non necessariorum hercle illius moris pedisequorum? qua autem ratione optime illud explicatur? quod uterque, Paedagogus nempe noster et Pratensis plerosque pueros ejusmodi morbis laborantes videret, quod uterque capitibus sedulo tectis plerosque videret pueros, et quod uterque capita tecta frequentes illos puerorum morbos parere concluderit. — E Pratensis verbis, fateor, tum primum morborum illorum frequentia pateret, si puerorum capita tegendi, quo e *suis* sex aegrotantes statuit, morem universalem fuisse, constaret: seposita vero omni de illorum temporum vestitu inquisitione, illud e citatis verbis manifesto sequi mihi videtur. Pratensis pater erat, erat medicus: suorum unum tantum videbat sanum et capite nudatum: sex valetudinarios et capite coöpertos: quidni avulsit perniciosum illud tegumentum? probabiliter quoniam meliora probans aliorum, matris fortasse, malesedulae curae indulgebat, qui multo minus etiam valetudinarios quam perfecte sanos solito illo tegumento privari, concedere poterant: si cui tamen et haec non sufficiunt, rogo: quare ad suam sententiam stabiliendam suorum unum citavit Pratensis, nec ab omnibus alicujus familiae, alicujus urbis, vel et alicujus Provinciae pueris exemplum petivit?

Praeter infirmam illam plerorumque puerorum valetudinem, e citatis verbis porro sequi mihi videtur, magnas in illa re Scrophulam egisse partes: ignoramus certe, quid sibi cum distinctione *aut glandulae*, *aut strumulae* voluerit Pratensis: nonne vero haec e locutionibus illis pleonasticis, quibus admodum vulgare quid significatur, una est? Quidquid sit, in infantibus glandularum tumores saepissime observasse Pratensem, abunde patet, dum febriculae, *scabiei aliorumque tuberculorum* (pro favis et herpeticis exanthematibus probabiliter potius habendorum) idque in pueris fotis, debilibus, valetudinariis, una facta mentio omnem de fugaci tantum scrophula suspicionem avertat.

Quamvis non nisi pueritiam haec omnia spectent, ea tamen huic argumento egregie inserviunt, et maxime optandae fuissent plures ejusmodi annotationes: quemadmodum autem de infantum morbis in universum parum mentionis faciunt antiquiores scriptores, sic haec in specie causarum, quae scrophulae historiam valde incompletam reddunt, una est: majorem enim recentioribus temporibus de infantum morbis attentionem lucidioribus de scrophula ideis ansam praebuisse, nullus dubito.

De scrophula tamen, aetatis puerilis peculiari ratione non habita, tanquam de morbo vulgari sermo esse mihi videtur, cum Pratensi aequalis quidam auctor dicit: (48) „ Scrophulas lubenter „ ferunt collum et humeri. Raro autem existunt solitariae, sed multae junctim. — Generantur a „ malis humoribus, cujusmodi sunt phlegma et melancholia."

Ex hisce igitur verbis, aeque ac e praecedentibus, rite observasse pristinos medicos patet, constitutione corporis valetudinaria plerumque stipari scrophulosos ad collum tumores: genuinum tamen vinculum ignorabant, et cum ad chirurgiam pertinere illorum tumorum diagnosis et cura exis-

(48) *Den groten herbarius. cap.* CXXXV.

existimarentur, adeo paucas de hoc morbo annotationes ex illo tempore ad nos pervenisse, non est quod miremur: et nisi Forestus omnes suo opere morbos complecti cupiens, mantissae instar, aliquot nobis reliquisset observationes chirurgicas, apud illum etiam aliquam hujus argumenti illustrationem quaesivisse, frustra fuisset: unde colligere licet, quantam illius aequales alii auctores messim praebeant.

In libro *de tumoribus praeter naturam* de scrophula loquitur Forestus, verum admodum imperfecte, illam habens pro affectione topica, in collo, axillis et inguinibus praecipue consistente, vulgo *carnoffelen* dicta. (49) De scrophulis tanquam pueris magis familiaribus non loquitur, animadvertens tantum, illas, quae infantibus accidunt, salubriores, quae vero senibus, curatu graviores esse: tumores caeterum illos et statum valetudinarium inter se cohaerere, optime noverat, quippe pituitoso corporis statui, praecipue a victu immoderato, tum et malae digestioni illos adscribit.

Quamvis igitur haud ita procul abesset Forestus, ut scrophulam tanquam morbum jam formatum in abdomine poneret, non tamen nisi longum post illam nostri auctores amplexi sunt sententiam: illam, Riolani theoriam dicens, optime noverat Diemerbroeck, nec tamen, utpote absurdam sibi visam, assumere volebat: ex illius tamen verbis manifestum est, illum saepe quidem tumores glandularum externos, sine meseraïcarum tumore observasse, simul autem, hunc ultimum familiarem illi fuisse morbum, (50) quem saepe fluxum coeliacum et atrophiam provocare existimabat: negligentiae igitur tribuere licitum erit, quod Blasius, qui post Diemerbroeckium scripsit, in sua diversorum glandularum tumorum recensione; (51) de illis, quibus in abdomine locus est, ne verbo quidem mentionem fecerit.

Maximi momenti sunt ea, quae e variis Sylvii operum locis inter se comparatis colligere licet: opinabatur nempe ille, (52) partem sanguinis acidam eam esse materiam, e qua in glandulis conglobatis secernitur lympha: (acidam tamen illam partem aliis principiis *neutralisatam* vel obtectam habebat, ulterius enim statuebat,) serum sanguinis naturaliter existere insipidum; prout autem varias ob causas depravatur, lympham ex eo secretam modo acidiorem, modo salsiorem, modo aquosiorem, modo viscidiorem fieri: quam igitur huic regioni endemiam lympham male praeparatam habuisse non oportuit Sylvium, quippe qui, sanguinis serum naturaliter insipidum dicens, illud in Belgio forsan dimidiâ hominum parte subsalsum reperiri, et alio in loco, Belgium uberem pituitae omnigenae parentem esse affirmet: (53) an probabilis sit illa Sylvii theoria, nihil refert; nobis sufficit scire, Sylvium apud dimidiam et ultra Belgarum partem lympham male praeparatam statuisse: hoc enim e sua sibi theoria statuere debuit: ex his autem, quae, quod ad scrophulam attinet, sequuntur, me non monente, in oculos incurrunt.

Inter propiores aetate auctores rectissime de scrophula judicabat Blancardus, (54) qui optime etiam perspectam habebat, quae nobis toties obvia, scrophulae cum vermibus conjunctionem. In universum etiam attentionem nostram utique hic meretur illa conjunctio: quando enim ante Blancardum Zacutum dicentem (55) audimus: „ In septentrionali regione nullus morbus verminatione „ frequentior: qua ratione in puerorum curandis morbis — de vermibus necandis debemus esse „ sol-

(49) T. IV. *Lib.* II. *obs.* 10. *schol.* 276. *sq.* (50) *Opp.* T. I. *p.* 40. (51) *Medic. univ. p. m* 296. (52) *Prax.* L. I. C. 49. (53) *ibid.* C. 34. (54) *Opp.* T. II. *p.* 53 *et* 469. (55) *Opp.* T. II *p.* 376.

„ solliciti:" aut quando, longum ante, Dodonaeum, vermes in corporibus puerorum frequentissimos esse, affirmantem (56) videmus, nonne ex eo convenientem scrophulae frequentiam colligere licet?

Blancardi verbis obscuriora sunt ea, quae seculo decimo octavo ineunte de scrophula scripsit Bouwer, quamvis majoris nostro argumento momenti: „ Absque dubio" inquit (57) „ frigore „ producuntur externorum glandularum tumorum plerique, quin et plures forte, quam olim quidem „ perspectum fuit, a potu frigido oriuntur." Non distinctius aegrotantium aetatem illum annotasse dolendum, cum probabiliter scrophulam significet, ubi dicit: (58) Multi pueri a tribus ad „ sex septemve annos nati viscerum obstructione laborant." Ad caetera illum peculiarem sibi de glandularum colli tumoribus sententiam foventem, antiquiores quidem medicos de non recte intellecta morbi indole accusantem, hunc vero pristinis temporibus minus exstitisse, nequaquam indicantem videmus.

Omnibus itaque perpensis, maxime vulgarem semper fuisse scrophulam universalem cum van der Haar statuo: quamvis enim pauca tantum pro hac opinione militare testimonia, inficias non eam, multum tamen apud me valent illa, cum multi quidem auctores hac de re sileant, eorum vero nullus, me judice, contradicat: non ita van der Haar, qui illam sententiam directius demonstrare potuisse videtur, aut saltem id de se ipse praedicat: quippe dicit, (59) *praeteritorum seculorum scriptores saepe* de mesenterii hepatis, lienis, pancreatis caet. glandularum induratione scrophulosa loqui: — recentiores vero, Boerhaavium quoque et Swietenum, fere non loqui.

De posteriore illi assentior; de priore vero, quantum hujus regionis auctores spectat, non item: prorsus enim, de quibus loquitur, si Blancardum et Muysium excipio, ignoro.

Quare adeo parce de scrophula mentionem faciant Boerhaave et van Swieten, non ita facile determinatu: aegrotantium penuria id non factum esse, satis, me judice, e praecedentibus liquet: nec a vero plane aberrare videtur van der Haar, cum Swietenum (potuisset et Boerhaavium addere) scrophulam cum scirrho confudisse, indicat.

Si opinio, tumores scrophulosos ad chirurgiam pertinere, altera parcae apud antiquissimos nostros scriptores de scrophulâ mentionis causa erat, idem effecit vocabuli *scorbuti* per posteriorem seculi decimi septimi dimidiam partem abusus. Quamvis enim non omnes medici adeo audacter locuti sint ac Bontekoe, qui „ scorbutum omnis morbi originem, sive potius unicam „ aegritudinem humanam" dicebat, (60) omnes tamen (ne Boerhaavio quidem excepto) plus minus in hanc partem peccabant. Habitum itaque scrophulosum et vitia organica inde orta tunc temporis saepe non fuisse perspecta, praesertim ubi scrophulosi nulli tumores (quos ultra sese non extendebat antiquitus vocabulorum *strumae* et *scrophulae* significatio) lucem afferrent, mirandum non est. Qui directa tamen argumenta cupiverit, evolvat tantum illius temporis scriptores, illaque saepe inventurus est. Idem sentiebat etiam van der Haar: modum tamen, si quidem recte illum intelligo, excessit, quippe omnia, quae olim de scorbuto scripta reperiuntur in totum aut pro maxima *minimum* parte de scrophula intelligenda esse, significaverit: (61) in qua re refutanda ut tempus perdam, mihi non opus videtur.

Quam

(56) *Prax. med. p. m.* 465. (57) *l. l. bl.* 263. (58) *ibid. bl.* 182. (59) *l. l. Waarnem. bl.* 7.
(60) *l. l. p.* 258. (61) *l. l. p.* 58.

Quam recentioribus etiam temporibus scrophula et scorbutus inter se confusa sint, docet scriptoris caeterum non spernendi locus: „ Scorbutus" inquit Berkhey (62) „ non ab aëre ma- „ rino. In plagis maritimis constitutiones admodum vegetae. Aquae etiam marinae usu sanantur „ mucosae scorbuticae infantum glandulae." Vulgaris loquendi normae obsequium Berkheyum non plane excusat.

Hodie si quis scrophuloso dicitur habitu, illud medicorum nemo non intelligit, quamvis, si non adsint manifesti glandularum tumores, non ita facilis sit illius rei descriptio: haec quarta probabiliter fuit causa, cur ex antiquioribus scriptoribus parum haec materia illustretur, qui nec de habitu scrophuloso locuti nec probabiliter rem ipsam animo bene consecuti sunt: frustra igitur phthisin scrophulosam, (†) ophthalmiam, aliosque id genus morbos apud illos quaesiveris, quamvis, illos tunc temporis non potuisse observari, perperam statueres: in horum igitur etiam morborum historiam lucem spargere majorem, quam quae e scrophulae in universum sumtae historia oritur, me non posse, candide fateor; haec autem adeo imperfecta est, ut vel ipsam specialium morborum scrophulosorum historiam illustrari, opus fuisset.

Multis tamen fotam de valde aucta recentioribus temporibus scrophula sententiam historicis monumentis haud inniti, existimo, dum id, quod cl. Thuessink de nostro tempore dixit: (63) „ In „ humida nostra regione non tantum multi vermibus et pituita primarum viarum laborant, sed „ praesertim etiam pueri affectionibus scrophulosis et abnormi cutis actione" decimo septimo, quin decimo sexto seculo aeque ac nostro potuisse enunciari, mihi quidem persuasum sit.

DE RHACHITIDE. Scrophulae proxime agnatus, infantum hic morbus, ex obscurissimis certe est nostri argumenti partibus: quo arctius enim vinculum inter illos morbos ducatur, eo magis mirandum, quod de Rachitide, tanquam de morbo recentioribus temporibus oborto, apud multos scriptores legimus: sic de nostra regione anno 1788 affirmabat van der Haar, (64) frequentem aquae calidae potum "ante centum et quod excurrebat annos morbum illum *novum et familiarem* reddidisse, nec absimili modo, ut alios taceam, van Geuns opinatus fuisse videtur. (65)

Praetermissis autem iis, quae e scriptoribus extraneis de Rhachitidis historia erui queunt, apud antiquissimos nostros auctores paucissima de illo morbo annotata reperiri, fateri cogor, quamvis de illo cogitandum mihi videatur, ubi de plicatura, quam infantum ossa nonnumquam patiuntur, Lanfranci vestigia calcans, loquitur Forestus. (66)

Ab altera tamen parte parca illa mentio non impedit, quominus sententias minus accuratas proposuisse mihi videantur van der Haar et van Geuns: evolutis scilicet ejusmodi auctoribus, qui seculo illis antecessere, illos de ampliori temporis spatio loqui oportuisse, patet: ex iis enim auctoribus non obscure liquet, tempus, quo primum ad Rhachitidem animum adverterunt medici, in

(62) *l. l. bl.* 1596. (†) De hac tamen lectu digna exstant apud J. MOYS *Obs.* Dec. XII. O. 4.

(63) *Iets over de voorbehoeding van de Roodvonk. bl.* 21. (64) *Proeve enz. bl.* 57.

(65) *Staatk. Handh. bl.* 290. (66) *Obs. Chir.* L. VIII. *ad calc.*

in illud saltem, quo aquae calidae potio introducta fuit, prorsus non cadere: sic omne Blancardi (67) testimonium in eo consistit, quod non dubitaret, quin novus esset morbus, quadraginta aut quinquaginta annos antequam illud scriberet in Anglia primum observatus, et Bontekoei, (68), quod morbus esset Angliae proprius, qui tamen et hic suo tempore familiares fiebat: dum nec de novitate nec de origine apud exteros loquatur Bouwer, illi morbo hac in regione gravis articulorum scorbuti nomen jure imponi dicens. (69)

Quando vero in Benjamini Pineau dissertatione inaugurali, anno 1691 Leidae defensa, Rhachitidem rarum et novum morbum dictum videmus, dum „ hoc morbo laborantem tribus abhinc „ annis in hac provincia" conspexisse se auctor addat, (cujusmodi certe effatum magnam raritatem indicat), qua ratione haec cum supra allatis testimoniis congruunt? res, me judice, non explicatur, nisi eo, quod Rhachitis, de qua loquitur Pineau, ab illa, quam memorant Bontekoe et Bouwer, valde distuierit: manifestum jam illud est e descriptione, quam de morbo proposuit Pineau, quippe quae Rhachitidem cum hydrocephalo conjunctam exhibeat, quocum egregie convenit, quod in aequalis fere Frederici Jaegwitz dissertatione inaugurali in universum inter symptomata recensitum invenimus — cerebrum mole triplo naturali excedens.

Haec nempe illa fuit Rhachitis, quae seculo decimo septimo ineunte in Anglia nata, sensim sensimque maximam Europae partem peragravit et tantâ clade afflixit, ut A. Bootio (69) teste, nullus esset annus, quo *in Gallia* (siquidem recte interpretetur Teichmeyer) non aliquot millia infantum e? perirent, utque in Germania pestis infantum dici mereretur (70). Quis in Anglia hujus morbi fuerit decursus, e sequentibus de Londino colligere licet: (71) anno 1634 in illa urbe dicto morbo periere 14 aegrotantes. — anno 1649. 190. — anno 1650. 260. — anno 1651. 329. — et anno 1660. 521. Ab eo inde tempore minus minusque lethalium casuum annotationes indicant, ita ut anno 1700. 393 tantum aegrotantes perierint, anno 1751. 21 et anno 1799 non ultra 7, quae ultima leta non Rhachitidi tantum, verum scrophulae etiam tribuuntur. Vehementem illam Rhachitidem, illamque quae hodie observatur, unum eundemque morbum esse, maxime probabile est: in Anglia enim, ubi annotationes adeo accuratae factae fuere, diagnosin aetas praecedens sequenti continue tradidit: utrum autem hic morbus illa in re cum syphilide comparandus sit, quae ante annum 1493 ignota, illo oborta, per viginti circiter annos vehementer grassata, atrocem suam indolem sensim sensimque deponere tunc incepit, an cum scorbuto, qui ante annum 1556 in variis regionibus endemius, a causis haud perdurantibus ad insolitum vehementiae gradum elatus est, intra paucos vero annos ad priorem statum reversus, ambiguum est, et hac in re nodus: posterius si verum est (quod arguere videri posset illud, quod e scriptorum, qui seculo decimo septimo exeunte vixere, testimoniis sequitur, Rachitidi nempe duplicem hac in regione tunc fuisse formam, vehementiorem alteram, alteram mitiorem), seculi decimi sexti Rhachitidis adeo parum nobis cognitae culpa in illius temporis auctoribus residet, nec multum forte illud hac in re nostro excelluit: prius autem si probatur (pro quo pristinorum auctorum fere silentium militat) inde tamen non

(67) *Nieuwligtende Praktijk. bl.* 563. (68) *Tract. van het Kruijd Thee enz. p. m.* 131.

(69) *l. l. bl.* 146. (69) *De affect. omissis.* C. XII.

(70) TEICHMEIJER. *Diss. de atrophia infantum rachitica. p.* 5. (71) BATEMAN. *l. l. p.* 4.

non sequitur, scrophulam seculo decimo sexto minus gravem et (apud eorundem ordinum homines) minus frequentem fuisse, cum illa tantum forte in re dicta aetas nostrae praestiterit, quod hodie *saepius*, idque fortasse per hereditatem scrophulae comitem se adjungat ossium curvatura, nam olim etiam (quemadmodum et ante annum 1493 non defecere genitalium morbi) nonnullis pueris ossa fuisse curvata, modo e Foresto vidimus. (†)

Quod autem ad introductum potuum calidorum usum pro Rhachitidis vernaculae causa a van der Haar (72) et van Geuns (73) habitum attinet, hanc accusationem redarguere videtur historia, quae docet, illo tempore, quo ad vehementiae culmen in Anglia saltem, pervenit Rachitis, vix cognitum fuisse Theae usum: ejusmodi quid de nostra regione directe determinari sane nequit, at maximo cum jure, nisi me omnia fallunt, idem statuere nobis licet: silentio tamen praeterire non possum, recentioris etiam temporis de Rhachitide testimonia cum illis de potuum calidorum abusu male convenire: Groningae e. g. minus quam alibi Rhachitidem indeque ortam pelvis deformitatem inveniri, testabatur van Doeveren, (74) dum Rotterodami plus satis illo morbo deformium esse, affirmaret Berkhey. (75) Secundum Rôbol (76) Enchusae rara erat Rhachitis, dum contra eodem tempore Harlinga plures quam viciniae infantes rhachiticos aleret: (77) plura exempla non afferam, animadvertens tantum, probabiliter huc etiam referri posse sibi invicem contrarias de deformitate in universum relationes, quemadmodum Amstelodamo favens illa doct. Nieuwenhuisii (78) opposita antiquioribus Volteleni de Ultrajecto et Walkartii de Sylva-Ducis: (79) unde autem illud discrimen inter varias plagas? absque dubio a locorum conditione, non autem a potuum calidorum usus differentia, de horum enim abusu omnes uno ore queruntur citati auctores.

E dictis igitur sequitur, illud, quod de Rhachitide historia docet, cum conclusionibus, quas supra de scrophula proposui, non pugnare.

(†) Satis accuratam Rhachitidis descriptionem apud veteres inveniri, affirmat Camper, negat Boerhaave: cuinam fides habenda? utrique forsan: priori, si recentiorum temporum rachitidem spectaveris, posteriori, si epidemicum Glissonii morbum, quem Boerhaavio continue ob oculos fuisse, satis patet. Conf. hujus *Prax. med.* T. V. *Rhach.*

(72) *Proeve over de herzenen enz. bl.* 57. (73) *Staatk. Handh. enz. bl.* 290. (74) *Serm. de Sanit. caet.*

(75) *l. l.* D. III. *bl.* 720. (76) *Verh. der Corr. Soc.* D. I. *Afd.* II. *bl.* 827.

(77) *Van den Bosch. l. l. bl.* 325. (78) *Topogr. van Amst.* D. I. *bl.* 174.

(79) *Verh. der Corr. Soc.* D. I. *Afd.* II. *bl.* 278 *en* 502.

DE MORBIS VENTRICULI.

Perpensis, ultimis tribus disquisitionibus, generalibus, ut ita dicam, morbis, qui organorum ad digestionem inservientium affectionibus semper stipantur, ad ulteriorem illustrationem nonnullas de hac meteria observationes addam.

Apud populum, qui, quantumvis alte res repetatur, de intemperantia, eaque crassissimorum ciborum fuit accusatus, frequentes semper fuisse ventriculi, affectiones, unusquisque suspicatus erit, nec suspicionem fallunt antiquissima nostrorum medicorum testimonia.

Sic de suis popularibus, Zeelandis, testabatur Pratensis, (80) illos lentis, frigidis ac tenacibus succis in ventriculo aggregatis plerumque laborare, et quae de Batavorum et Hollandorum ventriculo pituita referto scripsit Forestus, supra pag. 30 vidimus: — sic e laude, quae spiritui vini, (81) quamvis Foresti tempore parum usitato, ad ventriculi inflationem impertiebatur, hujus affectionis familiaritas satis apparet, et adeo frequenter in universum a Foresto aliisque de amaris aromatibusque, quibus et cibi et potus condiebantur, mentio fit, ut ventriculi imbecillitatem erigendi necessitas abunde inde pateat; nec parvo sunt numero cibi, quos non bene digeri affirmat Forestus, nos tamen in mensam appositos quotidie videmus, e. g. pisces, caro gelu coacta (tenerrima hodie habita), ova fricta, mel, raphanus, allium, nasturtium, sinapi, lac crassum caet. (82)

De certa quadam tamen ventriculi affectione nostratibus, inferiorum praesertim classium, non infrequente, serosa nempe, ut ita dicam, colluvie (nostratium *hartwater*) speciatim non loquitur Forestus, quam tamen *ventriculo pituita referto et frigido* illum comprehendisse autumo; illam enim memorare videtur Dodonaeus, ubi dicit (84) „ (*Imbecillitatis ventriculi species*) πτυελισμος „ sive salivatio: humida constitutio, qua dulcis pituita expuitur:" nec improbabile est, eandem etiam affectionem ob oculos habuisse J. Heurnium, ubi de frigida et humida ventriculi intemperie loquitur, (84) quamvis vomitum certe non memoret: ventriculi morbos huic regioni endemios in universum judicasse Heurnium, illius dictum: „ argillosa terra ventriculo bellum in„ dixit" (85) demonstrare videtur.

Aptissimus etiam de nonnullis Fieni sententiis hic est dicendi locus: „ Nullus" inquit (86) „ praesertim hujus plagae septentrionalis incolis morbus aut infestior est, aut frequentior, mi„ nusque a medicis etiam mediocriter doctis cognitus, quam qui e flatibus suscitatur" — „ Hip„ po-

(80) *De cerebri morbis. p. 14.* (81) *Foresti.* L. XVIII. *Obs.* 3. *schol.* 4. (82) *ibid. obs.* 37.
(83) *Prax. med. p. m.* 594. (84) *Opp.* T. II. *p.* 124. (85) *ibid.* T. I. *p.* 289.
(86) *De flatibus. Praef. p.* 11.

„ pocrates unus de flatibus loquitur, praesertim tamen, quasi ab aëre ambiente generentur, admo-„ dum autem perfunctorie, quatenus a cibo, potu aut pituitosis humoribus oriantur; nec valde „ mirum: ejus aetas sobria erat: nostra vero hac aetate ob ingluviem pauci hujus tyrannidi ali-„ quando non subjecti. Hipp. magis docte quam utiliter scripsit: illum ergo relinquimus." Hos flatus victui refrigeranti attribuit, tum et exuperantiae optimi etiam cibi et potus: apud quosvis quidem colligi solere inde natam cruditatem aït, maxime autem apud septentrionales. Denique poculorum accusat certamina.

Multa esculenta et potus de inflatione criminatur. „ Flatus quiescens" ait „ frequenter di-„ vexat eos, qui crassam, recentem, pauloque dulciorem cerevisiam, lac, aut aquam, potissimum „ inter prandium et coenam biberunt: unde abdomen instar tympani tumidum." Porro flatulenta dicit omnia cerealia, imprimis faba, minus pisa, quorum tamen amborum posteriorum noxam minus a nostratibus percipi ait, cum admodum familiaria cum voluptate assumantur: hanc vero animadversionem non addit, ubi haud pauciores, quam sequentes, cibos flatulentos appellat: fructus horraeos, rapum, napum, raphanum, cerealia, pisces glutinosos et pingues, legumina, olera, lac et caseum. De lacte speciatim etiam addit, paucissimos esse, quibus inde venter non flatuosus. (87) Cum autem eatenus tantum flatulenti dici possint omnes illi cibi, quatenus debilior sit ventriculus, quam ut illos rite digerat, Belgarum illius temporis ventriculi vires hercle non celebrasse Fienum, patet. — Sive autem flatus illi jecoris et lienis obstructiones et indurationes generent, ut Fieno placet, (88) sive vice versa, sive omnino non, nil refert; vidisse sufficiat, illo tempore admodum frequentem fuisse primam illam affectionem, adeoque et ventriculi debilitatem, comitesque habuisse ita dictas obstructiones. De ulteriori e Fieni sententia illorum flatuum sequela infra locuturi sumus, ubi de morbis nervosis sermo erit.

Beveroricio etiam admodum frequentem ventriculi debilitatem fuisse visam, omnes denuo cibi et potus probant, quos concoctu difficiles obstructionesque et flatus generantes habet, quos recensere longum: unum tantum illius auctoris effatum addam, quoniam ab aequalium nullo adeo expresse id prolatum invenio: de illis nempe, quibus ventriculus debilis est, locutus, addit, in illorum numero magnam urbes inhabitantium partem, tum et omnes fere literarum studiis deditos esse: (89) an de nostro tempore multum pluris dici potest?

Illam morborum ventriculi, ante introductum potuum calidorum usum, frequentiam plurium scriptorum, e. g. Wassenaerii, (90) Sylvii (91) Craaneni, (92) Barbettei (93) caet. testimoniis confirmare possem; attamen de Swalvio tantum dicam, cum hic in alia hujus regionis parte, in Frisia nempe, idque Harlingae, artem exercuerit: inflationem scilicet cum omnibus suis symptomatibus vulgatius ibi esse malum, ille jam testatus est auctor: (94) ventriculi imbecillitatem sive cruditatem maxime frequentem et speciatim os madore fatuo irriguum queritur, quorum posteriori probabiliter significatur nostratium *hartwater*, de quo supra jam locuti sumus, et de quo hoc

(87) *ibid. p.* 6. 24. 34. 36 *et* 57. (88) *ibid. p.* 31. (89) *Alle de werken.* D. I. *bl.* 196.

(90) *Dodonaeus. Ars med. ofte enz. Met nooten van Wassenaar. bl.* 41. (91) *Opp. p. m.* 596.

(92) *Tract. de homine. p.* 25. (93) *Opp. p. m.* 134.

(94) *Querelae ventriculi renovatae. p.* 251 *et* 262.

hoc unum addere liceat, illud malum tanquam admodum familiare quid descriptum inveniri a Fontano, qui inter alias causas etiam memorat potum *frigidum* jejunis bibitum. (95)

Haud longe post introductum potuum calidorum usum, idque cum Blancardo, de immoderati illorum usus effectibus querela jam incepit: „ Potus Theae ut et Coffeae" inquit (96) „ quamvis „ salubris, tamen modum excedens pessime audit, quo non tantum homines languidi fiunt, et cibum „ aversantes, sed in certissimam mortem se conjiciunt. Aqua enim fervida continuo sorbendo ventri- „ culi systema enervatur, ejusque substantia quasi coquitur et mollescit: hinc varias familias novi, „ ex quibus quatuor vel quinque homines fatis cessere." Num vero ex hisce Blancardi verbis sequitur, a potuum calidorum usu auctos fuisse ventriculi morbos? mihi quidem non videtur: quamnam copiam dicit modicam? decem vel plurium scatularum: — quantâ igitur opus fuerit copiâ, ut immoderatus Blancardo diceretur usus, apparet, dum praeterea Bontekoeo, cujus plus quam Blancardi apud populum valuisse videtur auctoritas, nulla quantitas nimia esset: (97) quid igitur miremur istos ventriculi morbos, variasque nervorum affectiones, quin fatales istos eventus? — Nonne etiam paulo iniquius de calidis potibus judicatum fuisse, sive potius, nonne ab aliis causis olim profectos fuisse eosdem illos morbos, ex eo patet, quod Blancardus, qui tempore vixit, quo ab iis potibus sine dubio abstinebant haud pauci, quos igitur cum iis, quibus in usu erant illi, optime comparare poterat, quod Blancardus, inquam, Theae usum ad decem pluresve scatulas non tantum ut innoxium, verum etiam ut sanitati conducibilem commendare potuerit, idque tempore, quo illum, ut vidimus, lugendos intemperantiae hujus etiam rei effectus jam docuerat experientia? — Bontekoeum etiam damna, quae immodica sua Theae potio ventriculo inferebat, observasse, quamvis fateri nolit, satis indicant sequentia illius verba: „ Ventriculi laxitas, communis hac in „ regione aerumna: multis post Theae potum ventriculus debilitatus fuit, quod tamen ab aliis „ causis profectum est."

Ad ulteriorem ventriculi affectionum, quas gignebat iste Bontekoeo laudatus Theae usus, sequentes inserviant annotationes.

In illius temporis libello (99) sequens occurrit periodus: „ Quoties, effusa illa aqua (Theae „ et Coffeae), audire est querelas: quam aquosum os: quam aquosus ventriculus: quam aquosum „ cor: veluti lapis jacet in corpore aqua: — tunc autem vino, spiritu vini, aliisque potibus „ ardentibus uti, ut aqua expellatur." Nec de hujus rei veritate dubitandi est locus, quamvis hunc libellum, cujus anonymus auctor cerevisiae coctor forte fuit, in lucem edidisse videatur praejudicata opinio, vel rei familiaris studium.

Sequentia habet Goris: (1) „ Quibus quantisque paucis retro annis laudibus novatorum „ principes fabarum Koffee, foliorumque Theae potus in conservanda, restituendaque sanitate ex- „ tulerint, lippis, tonsoribusque notum; ast eventus nequaquam respondit, immodiceque po- „ titantes subinde inflationis, appetitus prostrati, imo tremoris, paralysisque poenas luunt."

Eadem est mens nunciationis cujusdam, Cohauseni opusculo (2) praefixa quae invenitur, quip-

(95) *Resp. et Cur. p.* 69 *et* 70. (96) *Opp.* T. I. *p.* 314. (97) *Conf. l. l.* T. II. *p.* 253 *et passim.*
(98) *Tract. van het kruyd Thee. bl.* 20. (99) *Klaar-bewys van het misbruyk van de Thee. enz. bl.* 22.
(1) *Medic. contempta. p.* 82. (2) *Neo-Thea, ofte enz.*

quippe nos docet, Theae et Coffeae potionem tunc temporis ubique, praesertim autem in Hollandia, maxime vulgarem et consuetudine adeo gratam factam fuisse; ut apud innumeros potatores, imprimis apud feminas, in manifestam abivisset delirationem, unde appetitus prostratus, viscerum debilitas et obstructio, chlorosis, tremores, inflationes caet. In ipso porro Cohauseni opusculo idem, quod in supra citato libello, invenitur convicium: „ In Hollandia" ait (3) „ Ligustici suâ „ tincturâ multum fidit sexus sequior, cum jam vulgo receptum sit, aquae depellendae praetextu, „ post Theam et Coffeam, varii generis potûs ardentes offerre, aut saltem clanculum bibere: — „ saepe vero labuntur in ebrietatem." Ipsi huic scopo inserviebat dicta, opusculo praefixa, nunciatio, quippe quae certi cujusdam *Elixiris Coffeethealis* commendationem contineat.

Ex his omnibus, ni fallor, manifestissime patet, potuum calidorum abusum tunc temporis ad inauditum nobis gradum pervenisse, damnaque attulisse multo majora, quam quae hodie ab illa causa proficiscuntur. Procul tamen a me, quas et hodie parit ille abusus, ventriculi affectiones negare velle, et haec tantum volo, e citatis probabile fieri, seculo decimo septimo exeunte, apud nonnullorum saltem ordinum homines, plures quam hodie viguisse ventriculi morbos a dicto abusu ortos; hunc tamen abusum non perdurasse, pedetentimque in moderatiorem abiisse; male in hodiernae diaetae vituperium allata illa nonnullorum seculi decimi septimi exeuntis scriptorum testimonia quem allaturum, et nequaquam illud tempus, verum ipsum hoc, quo vivimus, cum remotioribus temporibus esse comparandum: in cujus rei gratiam si supra collecta antiquiorum scriptorum testimonia perpenderit, hac in re nostrae non multum antecelluisse pristinam aetatem, mecum, ni fallor, conclusurus est lector: de causis, quae tanta olim ventriculo damna inferre potuerunt, infra videbimus.

A potibus calidis orta mala hodie non adeo gravia esse, quam seculo decimo septimo exeunte, docet, me judice, quotidiana experientia, cum supra citatis collata; quam numerosa etiam et momentosa de illius abusus noxis recentiorum sint testimonia, non tamen unum idemque hac de re omnibus judicium.

Ne enim de nunciationibus super quibusdam plagis, quarum incolae sanissimi dicuntur, quamvis magna quantitate Theam bibant, (4) dicam, de Groninga versus seculi praeteriti finem scribebat P. Looff: (5) „ De potuum calidorum abusu non aeque querendi locus est, ac ex aliis „ quidem plagis hoc factum est. Magis spiritus Juniperi culpandus, qui irreparabile saepe corpo„ ribus damnum affert:" dum decem tantum annos ante de illa urbe dixisset van Doeveren (6) utrumque illum abusum adeo ibi vulgarem esse, ut saepe mortem provocaret: fueratne brevi illo temporis intervallo tantopere mutatum vivendi genus? probabile non est, reique ipsius obscuritati opinionum diversitas adscribenda erit. — Eadem forte res est cum judicio super urbe Edamo lato, (7) nisi quis illum abusum post seculum decimum septimum ibi diminutum directe etiam judicio illo demonstrari posse, potius existimet, id quod nec omni probabilitate caret: „ Morbi „ ventriculi" ita sonat „ hac in urbe frequentes propter multam plebis aquae potationem: in „ universum tamen illi morbi minus vulgares, quam ante aliquot annos."

Ven-

(3) *ibid. bl.* 210. (4) Conf. *Verh. der Corr. Soc.* D. III. L. G. *bl.* 428.
(5) *ibid. bl.* 403. (6) *Sermo de Sanitatis caet. p.* 33. (7) *Verh. der Corr. Soc. l. l. bl.* 369.

Ventriculi morbis, aetiologice praesertim spectatis, duae agnatae affectiones, nostra attentione perquam dignae, de quibus nunc videamus.

DISQUISITIO XIV.

DE COLICA PICTONUM.

Hunc morbum recentioribus temporibus admodum fuisse auctum, nonnulli perhibuere auctum, qua etiam de re potus aquosos calidos potissimum criminati sunt: quid illa de re sit, paulo accuratius determinare conemur, cum nil fere super hoc argumento nos doceat Haenii de Col.Pict. dissertatio, cui tamen concinnandae noctes et dies se indusasse testatur auctor.

Forestus, Haenio plane praetermissus, permultum in universum de colica loquitur, dum tres apud eum hoc modo aegrotantium paralysi correptorum offendamus casus: (8) nec prorsus rarum tunc temporis dici potuisse hunc eventum, ex eo patet, quod illum clysteribus imputabat imperitus populus, (9) cum tamen hoc genus remedii non neglexisse Forestum ejusque aequales medicos, satis manifestum sit. Illius eventus varias se posse indicare causas, praedicat Forestus, qui tamen veneficium a plumbo nonnumquam causam esse, ignorasse videtur.

Noverat etiam transitum illum Eugalenus, in scorbuto causam quaerens: num vero saepe illi obvius fuerit, certo determinari nequit, quod non improbabile tamen equidem existimo: cum momento haud careat illius testimonium, ad rem melius dijudicandam sequentia ex illius de scorbuto libro loca juxta se invicem ponam. Postquam locum Pauli Aeginetae, e quo hunc scriptorum dictum transitum cognovisse, apparet, allegavit, ejusdem testimonium addit, quod affectio illa ex Italia oriunda inde latius proserpserit. (10) An, ab illo inde tempore hac etiam in regione reperiri illam affectionem, hoc dicto significat Eugalenus? „Id ipsum" ita pergit „*nunc etiam* in multis Rheni partibus viget." An hujus etiam regionis magna illa pars, quam ille fluvius alluit, hoc significatur, an vero ita etiam explicanda sunt illa verba, ut indicent, affectionem illam hac in regione antea jam familiarem, *nunc etiam* in Germania vigere incepisse, quemadmodum tunc temporis ad Germanos etiam migrasse scorbutum, cui nempe transitum illum adscribebat, in universum statuebat Eugalenus? Mihi quidem probabile hoc videtur, cum paralysium scorbuticarum, quas ipse vidit et citavit, ne unam quidem, quantum scio, in aliqua prope Rhenum regione observaverit: paralyses autem istas, quamvis plerasque non hac in regione, sed Ham-

(8) L. X. *obs.* 96. L. XXI. *obs.* 5 *et* 15. (9) L. X. *obs.* 82. *schol.* (10) *l. l. p. m.* 114.

Hamburgi, Embdae, et in aliis Germaniae inferioris tractibus Eugaleno observatas, in censum hic ducere ausus sum, cum ab illarum plagarum incolis, seculi nempe decimi sexti, ad nostrates, quibus gravior etiam secundum Eugalenum erat scorbutus, concludere, in re obscura nefas non duxerim.

Non ita tamen haec accipienda, quasi omnes paralyses caet. *scorbuticas* Eugaleno memoratas (quarum viginti ad triginta citat, dum longe plures illum vidisse, satis indicet) colicas proprie ita dictas secutas fuisse, autumem: quamvis enim unà plerumque laborasse abdominis viscera, pateat, *colicam* tamen raro memorat Eugalenus, tum et *scorbuti* vocabulo abusum fuisse illum, recte novi: ab altera tamen parte non oblivisci nos oportet, Eugaleno non, ut dein Bontekoeo, unicam aegritudinem humanam fuisse scorbutum, sed morbum, cui a lancinante ventris dolore *saucii ventris* nomen erat. Unde jure concludere mihi videor, inter multas illas Eugaleni observatas paralyses caet. *scorbuticas* non prorsus raras fuisse completas colicas Pictonum.

Mirum certe videri posset, illum, in quo capite de colica scorbutica, sive ut aït, ventris dolore quasi colico agit, (11) de paralysi plane non loqui: hoc tamen eo factum mihi videtur, quod ille, qui in suo opere acutissimum ordinem et scribendi normam servat, illius symptomatis mentionem differre maluerit, usqueqno de morbis nervorum scorbuticis sibi sermo futurus esset. Manifestum porro est ex illa denominatione Ventris Doloris quasi Colici, Eugalenum colicas vulgares distinxisse a colica scorbutica, quam ut vehementissimam describit, et de qua, pedetentim inde corpus extabescere aït: cui cum accedat, quod istius etiam morbi, qui Colica Pictonum dicitur, paralysis inseparabile symptoma non habeatur, probabile mihi est, Eugaleni colicam scorbuticam in perplurimis casibus Colicam Pictonum haberi posse. De symptomate certe, posteriori morbo adeo vulgari, pertinaci nempe alvi obstructione non loquitur Eugalenus, at notandum, illum de alvi evacuatione nullam omnino facere mentionem. — Illi autem sententiae, eosdem illos esse morbos; novi certe nihil inest, cum eam foverit magna scriptorum copia; illud tamen e quodam antiquissimorum nostrorum scriptorum, eoque Citesio aetate anteriore, probabile reddere, simulque indicare, Colicam Pictonum illo jam tempore non prorsus raram fuisse, (12) non inutile duxi.

Non multum nos docent super nostro hoc argumento seculi decimi septimi auctores: quamvis enim de colica, quam comitatur paralysis, loquantur nonnulli, de quibus videre est apud Haenium (13) et Tronchinum, (14) parum tamen nobis fructuosae vagae ejusmodi sententiae. Quae autem alii plerorumque silentii causa: an casuum penuria, an vero medicorum negligentia? utraque concurrisse videtur? quid enim, quod ad priorem attinet, Beverovicii e. g. Dordrechti, Deusingii Groningae, et Matthaei Ultrajecti degentium miremur silentium, ad recentiorum experientiam attendentes: de posteriore tamen etiam mihi persuasum: Plempii tempore, ut hodie, Amstelodami aqua, quae multis potui erat, non tantum, quod testatur ille, (15) per plumbeos canales defluebat, sed et in plumbeis receptaculis asservabatur: noxias inde qualitates saepe non contraxisse aquam, nec de tempore in tempus hinc natas esse Colicas Pictonum, quis contenderit? num vero has obser-

va-

(11) *ibid. p.* 86. (12) *Conf. ibid. p.* 88. (13) *l. l. p.* 4—8. (14) *De Col. Pict. p.* 8.
(15) *Fund. med.* L. III. C. 5.

vavit Plempius? tantum abest, ut de re ipsa ne cogitasse quidem videatur, dum unum tantum hoc dicat, se et consanguineos plurimasque alias familias ejusmodi aqua educatos fuisse, illorum tamen neminem tota vita unquam *dysenteria* laborasse.

Numeris autem absolutam Colicam Pictonum (aquae venenatae effectus casibus exceptis) non frequentem tunc fuisse, satis constat: male autem, me judice, haec scripsit de Haen." Circa „ finem superioris seculi J. Muys meminit paralysios utriusque brachii post colicam biliosam: at „ vero ut *rarissimum* hisce in oris morbum notat:" cum hic auctor (16) biennii fere spatio tres ejusmodi casus se observasse dixisset, et *rarius* alias in nostris regionibus occurrere solere hunc morbum addidisset. *Rarius* etiam hoc, certae cujusdam rei ratione habita, scribere potuit Muys, ejusdem forte, de qua ad calcem egregiae hujus Blancardi (17) descriptionis: „ Dolor scorbuticus „ abdominis adeo est urgens, ut caeterae sint tantum risus jocusque: nam oritur ex *convulsionibus* „ Intestinorum ac Mesenterii: superveniunt et cessant artuum convulsiones: aliquando podex per- „ tinacissime clausus et retractus, spasmus recti. Abdomen non raro quasi excavatum et umbi- „ licus introrsum versus. Facile degenerant in Pareses, ut in locis vinosis Austriae, Moraviae, „ Franconiae satis experiuntur incolae; vel contracturas artuum." Quis tamen in nostra etiam regione non aliquando hunc exitum observasse Blancardum, contenderit: verum hoc omisso, dum illa Blancardi verba lego, illusque de scorbuti hac in regione imperio sententiam perpendo, non possum, quin Gaubii effatum demirer, de quo modo videbimus.

Buyzen, qui multo minus, quam aequalium multi, ubivis scorbutum criminatur, de colica etiam scorbutica non loquitur: dolorem tamen colicum morbum esse huic regioni admodum familiarem, omnino ipsi persuasuum erat, id quod testatur magnus nominum trivialium ab ipso citatorum (18) numerus: ut Colica calida, Colica frigida, Colica flatulenta, Colica biliosa, Miserere (*Darmwee*, *Darmking*): multas hujus morbi denominationes habere linguam vernaculam, animadvertit etiam Boerhaave, (19) insuper addens Colicam inclusam et Colicam ventriculi conditam: — cuncta quae usu comprobata nomina demonstrare videntur, hujus regionis incolis semper infestos fuisse dolores colicos. Haec vero in transitu.

Cuinam causae Colicam Pictonum adscriberet, dubitabat Boerhaave, quippe quem fluctuantem videamus optione inter vinum acidum, plumbum et scorbutum: (20) nec plane dispar Swieteni ratio. (21) Ad potuum autem calidorum abusum quod attinet, quem pro illius morbi causa recentioribus temporibus inter alios habuerunt Michell (22) et van den Bosch, (23) e seculi decimi septimi fine et seqnentis initio, quo tempore tantopere ille viguit abusus, scriptorum, quantum scio, nullus illi dictum morbum adscribit.

Attentionem nostram meretur definitio temporis, quo e Gaubii (24) mente per Hollandiam inter alios morbos vehementius quam antea grassari etiam incepit „ Colica spasmodica, quam dif- „ ficilis alvi obstructio plerumque comitatur:" et quam ad Colicam Pictonum referre, me judice, nobis licitum erit: majorem hanc frequentiam ab anno circiter 1730 inde repetit *Gaubius*, quo

(16) *Obs. Dec.* VI. *obs.* 10. (17) *Opp.* I. *p.* 390.
(18) *Practijk. p. m.* 81. (19) *Prax. med.* P. III. *p.* 237—240.
(20) *Pracl. de morb. nerv.* T. I. *p.* 200 *et.* T. II. *p.* 458. (21) *Comm.* T. III. *p.* 357 *et* 370.
(22) *Verh. van het Utr. Gen.* D. III. *st.* 1. *bl.* 475. (23) *l. l. p.* 533. (24) *Adversaria. p. m.* 56.

quo jure nescio, ipsiusque opinionem redarguere videntur inter alia supra citata Blancardi verba. Notandum etiam, ipso illo fere tempore, idque, si a libri titulo concludere licet, anno 1738 scripsisse Zelstium: (25) Colicam Pictonum hac in regione propemodum endemiam habuisse hunc auctorem, ex eo apparet, quod illum morbum non magis Pictonum quam Hollandorum colicam dici mereri dicat: non novam, ex eo, quod illam non tantum et colicam scorbuticam, verum et Podagram ipsam unum eundemque proprie esse morbum opinatus fuisse videatur; nec colicam cum paralysi tantum illi fuisse Colicam Pictonum, universa, me judice, monet, ipsius loquendi ratio, quippe per quam elucere videatur, accuratae descriptionis capacem colicam Pictonum non habuisse Zelstium. Si revera itaque ab anno 1730, aut, seposita accurata illa definitione, a seculi praeteriti initio, aut ab introducti potuum calidorum usus tempore inde, accrescere coeptus esset ille morbus, de majori hac frequentia mentionem facere, me judice, neglecturus non fuisset van der Zelst, (cujus rei ne verbum quidem in ipsius opusculo invenitur), nec illo, quem vidimus, modo scripsisset, quasi antea aeque vulgariter observatus fuisset ille morbus.

Eoque minus illud probabile fit, cum Haenium, qui observationes compellendi occasionem certe non praetermiserit, anno 1745 testantem videamus, morbum illum paralysi stipatum (qui, deficientibus accuratis de colica spasmodica annotationibus, nobis norma sit) paucorum *annorum* spatio in *novem* aegrotantibus se observasse, (26) dum *centenos* ejusmodi casus sibi obvios fuisse praedicasse Boerhaavius Haenio dictus sit. Nec tamen, cum ne decenos quidem casus memorent antiquiores auctores, *nimium* probat Boerhaavii testimonium: quis enim, magni illius numeri insolitam quandam causam non fuisse, contenderit? mihi saltem, de Colica Pictonum, epidemiae febris pseudo-biliosae anni 1727 fructu, (27) nobis cogitandum hic esse, firmiter persuasum est.

Boerhaavii jam tempore Amstelodami frequentissimus esse dicebatur hic morbus: multum itaque illud differt a recentioribus Stockii (28) et Volteleni (29) testimoniis, quorum prior de Rotterodamo, posterior de Ultrajecto, raram ibi esse illam colicae speciem, affirmabat, cui accedit sequens Doevereni enunciatum, quod in ipsius dictatis pro anno 1774 inveni, quodque integrum hic appono, ne de veneficio a plumbo tantum sermonem esse, (30) quis credat: „ Colica Pict.” ita sonat „ in una prae alia regione inque eadem pro diverso tempore frequentius sese ostendit. „ Patet hoc in nostris etiam regionibus, ubi ante 30, 25 vel 20 annos sat erat frequens, imo „ epidemica, nunc vero vix observatur. Sic intra septemdecim annos Groningae unicum tantum „ aegrum tractavi vero hoc morbo laborantem.” Cum autem fluviatili vel puteali aqua plurimum utantur Rotterodami et Ultrajecti incolae, deque Groninga affirmet van Doeveren, ibi, tunc temporis saltem, cisternas plumbo non fuisse obductas, sufficientem haec res praebere videri posset explicationem majoris Amstelodami, aliisque in locis, ubi infectioni magis obnoxia est aqua, illius morbi frequentiae: ab altera vero parte manifestissime patet, eo, quod in prius memoratis urbibus raro occurrat ille morbus, cum Boerhaavii testimonio et hodierna Amstelodami fama comparato, valide infirmari vim opinionis de variis causis, quibus illum morbum adscribere voluerunt,

(25) *De podagra caet. Dedic. et p.* 85. (26) *l. l. p.* 61. (27) *Conf.* TRONCHIN. *l. l. p.* 22.
(28) *De kwijn. ziektens der Nederl. bl* 213. (29) *Verh. der Corr. Soc.* D. I. *Afd.* II. *bl.* 506.
(30) *Conf. Redev. over Groningen. bl.* 50 *en* 21.

runt, quippe quae ibi tantum non aeque frequenter occurrunt, ac in iis, ubi morbus ille observatur.

Cum autem huc usque allegata sufficiant, ut eorum ope pristinorum temporum experientia, cum hodierna comparetur, huic disquisitioni finem impono, nos non tantam, quantam nonnulli voluere, hac in re querelae causam habere, me sentire declarans.

DISQUISITIO XV.

DE DYSPHAGIA.

Adeo invaluerat ante hos quinquaginta annos opinio, *longe* frequentiorem, quam olim, esse dysphagiam, ut in quaestione de hoc morbo anno 1768 a Societate Scient. Harlemensi propositâ illa res tanquam certa proponatur: eam tamen responsionis, quae praemium reportavit, auctori, M. Geunsio nempe, non plane supra litigium positam visam fuisse, satis patet: nihilominus ita concludit: „ Qua multi tam praecedentis quam hujus seculi suas de hoc morbo observationes „ proponunt, ratio monere *videtur* illos eum raro obvium et parum cognitum habuisse." (31)

Quae dubium reddidere Geunsium, sunt Heurnii, Dodonaei, Tulpii, Lindenii, Zacuti, Diemerbroeckii, Sylvii, Stalpartii, aliorumque, (quibus Fontanum (32) imprimis addere licuisset) testimonia, quae, ne cramben bis coctam apponere videar, non repetam: pauca tamen quaedam addere liceat.

Forestus nullam sane, quantum novi, dysphagiae observationem habet: utique tamen de illo morbo, variisque ejus speciebus loquitur, sine ullo additamento, quod rarum illi fuisse illum affectum, significat, dum illam tantum, Rondeletium secutus, speciem raram dicat, quae a paralysi musculorum ossis hyoïdis oritur. (33) — Eadem in universum res est cum J. Heurnio, qui praeterea plures morbi lethalis casus exhibet, non quasi unicos, quorum unum ideo tantum descripsisse videtur, quod, dum deglutitio fieret, oriebantur spasmi, manusque brachia et pedes continenda erant. (34) — Loquitur etiam de dysphagia, idque nequaquam tanquam de insolita quadam re, A. de Heide, qui itidem ante introductum Theae potus usum vixit: post narratam sci-

(31) *Verh. der Haarl. Maats.* D. XI. *bl.* 93. (32) *Resp. et cur. med. p.* 51 *et* 66.
(33) L. XI *obs.* 89. *schol. et* L. XV. *obs.* 31 *schol.* (34) *Opp.* T. I. *p.* 510. *et* T. II. *p.* 122.

scilicet diabetis melliti historiam, eo, quod revera rarus erat iste morbus, notabilem, relationi finem correpte imponit, aegrotum angustia faucium periisse, dicens. (35)

Hisce itaque perpensis, antiquiorumque scriptorum ne unum quidem, quantum novi, hoc vitium rarum directe declarasse, una animadverso, non possum, quin Geunsii conclusionem magis etiam dubitanter proponi potuisse, statuam.

Nos non moratura essent de hujus morbi frequentiâ recentiorum temporum testimonia, nisi mira illis intercederet diversitas: adeo familiarem in Hollandia septentrionali hunc morbum, ut eo tertius quisque periret aeger, statuisse Grashusium, notum (quis tamen crediderit!): in Geunsii etiam de hoc vitio, tum et Bosschii de patriae morbis dissertationibus non adeo quidem graves, at graves tamen de illo exstant querelae: quid autem de generalibus ejusmodi effatis cogitandum, cum de Medioburgo et Ziriczea memoratum invenimus, (36) de priore, ibi undecim annorum spatio tres tantum dysphagias letales observatas fuisse, de posteriore autem, ibi etiam interdum (*nu en dan*) tantum *occurrere* illum morbum: quae sane commemorationes rem non satis illustrant, vagis tamen, Grashusii praesertim, testimoniis oppositae, plurimum probant. Nec hic praetermittenda, itidem illic invenienda, Cl. Theussinkii relatio: quippe qui de Haga-Comitis scriberet, (37) frequentiorem anno 1792 quam praecedentibus ibi fuisse dysphagiam, ita ut ex aegris ipsius curae commissis, tres mulieres illo morbo periissent: qui si insolenter magnus tunc fuit numerus, quid de solita letalitate judicandum?

Dubitasse itaque Berkheyum, (38) an adeo quidem vulgaris in Hollandia esset dysphagia, non mirandum: dum relationes, qualis de Berkelia illa Zwigtii, (39) qui dysphagiam cum globo hysterico confundere videtur (quod et alii facere potuerunt) illius dubitationem confirment.

In una tamen hujus regionis parte prae altera occurrere videtur hic morbus, adeoque faustos quosdam esse tractus, in quibus raro aut numquam illum observant medici: de illius morbi frequentia admodum igitur variare oportet judicia: unde tamen sequi videtur, hunc morbum minus quam vulgo creditur a potuum calidorum abusu gigni: recentioribus enim temporibus undique hac de re querelae auditae sunt, ita tamen, ut eodem tempore saepe non frequenter obvia esset dysphagia: cujus rei exemplum praebet supra citatus Bosschii locus, ubi de Medioburgo et Ziriczea sermo est.

Directa tamen alia testimonia illud sane evertere non posset: sic contra dictum illum abusum certe militat, quod inter octodecim observationes Geunsio relatas septem sint, in quibus dictum abusum locum habuisse, tres contra tantum, in quibus non habuisse, acceperat van Geuns, dum in reliquis octo de illa re mentio facta non sit.

An vero, seposita veteri ironia *post hoc, ergo propter hoc*, e sententia ipsa, multum mali hac in re moliri memoratum abusum, sequitur, post introductum potuum calidorum usum augeri debuisse dysphagiam? dubitare licet: — relaxantem illorum potuum vim proximam dysphagiarum vernacularum raro esse causam, id est, hunc morbum raro hic esse a paralysi, docent cadaverum sectiones: — mucum igitur detergendi illorum potuum facultas isti vitio forte ansam praebet; an ve-

(35) *Exp. circa sang. miss. p. m.* 93. (36) *Van den Bosch. l. l. bl.* 454.
(37) *Verh. der Corr. Soc. Vervolg.* D. I. *bl.* 123. (38) *l. l.* D. III. *bl.* 1718.
(39) *Verh. der Corr. Soc.* D. I. *Afd.* II. *b. bl.* 582.

vero facultate illa minus praeditae fuere cerevisiae illae male coctae, nimis recentes aut subacidae et mucidae, plebi olim tanta copia potatae? — at certe tamen potus illi, etsi non adeo calidi, quam potius fervidi inflammationem et hoc modo suppurationem et indurationem gignunt: non nego: idem tamen cibi, praesertim liquidiores, lac imprimis ejusque serum calida (†), olim efficere potuerunt: — at spiritus ardentes: age sis, audiamus Swietenum.

Hic de angina scirrhosa „ unde impedita deglutitio" agens, dicit: (40) „ Fatendum in tam „ magno hominum numero, qui quotidie spiritibus fermentatis indulgent, paucos admodum in- „ veniri, qui hoc morbo laborant." Porro de ventis frigidis loquitur et pergit: „ An forte fervidorum „ potuum Caffae etc. sorbillatio similium malorum causa esse potest? — Certe non improbabile et „ hoc videtur. Constat tamen frequenter hunc morbum observatum fuisse, licet accurato examine „ nihil potuerit detegi, cui ejus origo tribui cum quadam verisimilitudine posset." Quam frigide potus calidos hic criminetur van Swieten, in oculos incurrit, ille, qui multa alioquin mala illis adscribit, et pravorum, quod ad hanc rem attinet, seculi decimi septimi exeuntis intemperantiae effectuum ocularis etiam testis esse potuit: eoque magis illud mirandum, cum Boerhaavium haberet assentientem, si saltem Haenio (41) credamus, narranti, Boerhaavium in scholis dicere solitum fuisse „ esse hunc morbum patrum nostrorum memoria fere inauditum (*an verum hoc?*) potis- „ simum modo animadversum, posteaquam fervidae sorbitiones adeo invaluerint." eumque prae- terea consuetudinem imprimis alimenta fervide assumendi pro illius vitii causa habuisse. (42) Mihi sane ultimum hoc non placet, cum alium hac in re majoribus fuisse morem, statuendi locus non esse videatur. — Haenius ipse in eo a Swieteno discrepat, quod non tantum spiritus stillatitios accuset, verum etiam vinum et cerevisiam antiquiorem: si vero hac etiam de re constet, qui majoribus inauditum fuisse potuit illud vitium?

Omnibus itaque inter se collatis, hunc morbum hodie quam ante sesquiseculum frequentiorem esse, non plane improbabile est; accurate tamen res determinari nequit, et sine dubio exaggerata quoque fuit hodierna hujus morbi frequentia: Boerhaave querebatur, rem quam olim pejorem esse, viginti aut triginta annos post Haenius querebatur, rem quam olim pejorem esse; in Bosschii dissertatione et in Actis Societatis ad Comm. Epist. totidem igitur annos post, eandem offendimus querelam; triginta annos post eaedem querelae: omnia haec effata an ad definitum quoddam tempus, seculi decimi septimi e. g. medium, referenda sunt? non ita videtur, quippe nullibi addita reperitur illa determinatio: provocatur tantum ad annos praeteritos, et omnia illa ideo tantum dicta videntur, ut jugiter accrescens significetur ille morbus: quod si reputemus, quam frequentem illum statuerit Grashusius, Haenio aequalis, qui hodie futurus fuisset rei status, si continue accresceret ille morbus? nonne etiam ille morbus inter rariores annumerandus, de quo, si letum provocat, ut ad alium medicum referat, operae pretium esse, existimat medicus? hoc tamen Amstelodami saltem et adhucdum hodie obtinet. Quod autem ad argumenta *a priori* attinet; gravibus illa dubitationibus premi, vidimus.

(†) Serum lactis calidum ante potus calidos introductos multo magis usitatum fuisse, quis negaverit: de lactis vero calidi seculo decimo septimo in Hollandia septentrionali usu vide BONTEKOE *l. l.* D. I. *b.* 258.

(40) *Comm.* T. II. *p.* 647. (41) *De deglutitione impedita. p.* 44. (42) *ibid. p.* 34.

DIS-

DE PHTHISI PULMONALI.

Quamvis, si de subtilioribus distinctionibus quaeratur, determinari forte nequeat, quaenam seculo decimo sexto et sequenti hac in regione hujus morbi fuerit conditio, illum tamen admodum frequentem tunc fuisse, generatim satis patere mihi videtur.

Antiquiorum scriptorum, qui morborum historiam ex ordine pertractavere, nemo fere non de phthisi pulmonali, tanquam de morbo maxime vulgari, agit: illos recensere longum: memorare tamen liceat Eugalenum, (43) cujus non negligenda de atrophia scorbutica, morbo nempe familiari, veteribusque medicis non cognito illi habito, eamque nonnumquam concomitante pectoris affectione mentio: tum et Wallaeum, (44) nec illum in veterum verba jurantem, qui de diversissimis pulmonum exulcerationibus loquitur, quas inter de illa, quae a tuberculo est. Omnia illa generaliter tantum dicta esse, fateor: verumtamen aliud quid est, in transitu tantum de aliquo morbo dictum, aliud quid, accurate, idque a quovis fere scriptore, de eo disputatum in-inveniri. Hic et illic praeterea nonnulla occurrunt, quae maxime vulgarem olim fuisse phthisin pulmonalem, directius etiam, me judice, probant.

Luculentius nullum hac de re inveni testimonium, quam sequens Tulpii effatum, (45) consideratis nempe simul medicorum extraneorum aequalium relationibus. „Vomica pulmonis" „inquit „ conspicitur vix ullibi locorum frequentius quam in nostra Bataviâ: sive ob alimenta humida, „ sive ob aërem uliginosum, vel loca plerumque pluvia ac irrigua." Ex his verbis simul apparet, pro frequentium illarum vomicarum causa manifestas peripneumonias non habuisse Tulpium, id quod illius temporis phthisium indolem quodammodo explicat: nonne etiam idem hoc, tum et dictam frequentiam, e Zacuto colligere licet, ubi crassum et nebulosum aërem, magnam Phthisium causam dicit? (46)

Ubi in sua praxi de phthisi pulmonali agit, Heurnius, minus quam alibi in veterum verba tantum jurare mihi videtur. Phthiseos causas memorat vomicam post pleuritidem, haemoptysin, et catarrhum: (47) quod ad primam attinet, illam olim quam hodie rariorem censendi locus non est: — quod alteram spectat, parum certi de illa statui posse videtur: animadvertendum tamen, multos apud Forestum (48) occurrere haemoptyseos casus, suosque etiam aequales et populares significasse videri Heurnium, cum dicit: „ Est haec aetas *(a decimo octavo ad trigesimum quintum annum)* „ potissimum ruptionis capax praeter caeteras, idque vel casu vel diaeta." Quorum verborum pondus optime sentitur, addita Heurnii ipsius Hippocraticae illius sententiae explicati-

(43) *l. l. p.* 168. (44) *Medica omnia. p.* 165.
(45) *Obs. med. p. m.* 112. (46) *Opp.* T. I. *p.* 245. (47) *Opp.* T. I. *p.* 565. (48) L. XVI.

tione. „ *Id ita accipiendum*" inquit „ ut plerumque ita eveniat ob susque deque habitam victus „ rationem: nam apud hos incautum et intempestivum vivendi genus *viget:* — unde tandem „ phthisis, quae non a ferina nascitur destillatione. Attamen (*ita pergit Heurnius, id quod „ ad tertiam nos ducit speciem*) haec aetas temeraria a crapula congerit faecundam catarrhorum „ sobolem, unde ferina destillatio, vasorumque partium spirabilium exesio." Ex ultimis his verbis patet, illam phthiseos speciem observare, Heurnio frequens fuisse: causa occasionalis, quam memorat „ tempestas austrina, quam excipit aquilonaris" idem demonstrare videtur, cumque homines imprimis alatos et angusti thoracis phthisi a ferina destillatione obnoxios esse, dicat Heurnius, nobis de phthisium illo tempore frequentia semel persuasis statuere licitum erit, perplures ita dicta phthisica constitutione praeditos homines cognovisse Heurnium: quod praeterea ad ipsius dictum (49) attinet: „ Regiones frigidae atque humidae hujusmodi affectiones pariunt:" non satis manifestum est, an phthises a constitutione phthisica hic significaverit, an vero phthises generatim: prius ex contextu arridet, verum et posterius magni etiam hic est momenti

De phthisi, quae a catarrho oritur, sequens Sylvii sententia bene notanda: quâ nempe occasione monet, ne aegrotis pituita viscida laborantibus multum sacchari praebeatur, sequentem fere in modum loquitur. „ More malo, imo pessimo, hic in Belgio, ubere pituitae omnigenae „ parente, in quavis pene tussi aliquamdiu protracta devoratur conserva rosarum rubrarum, unde „ non tantum non sanatur ulcus pulmonis, verum et ventriculus debilitatur et redditur insanabile „ malum. Et non tantum illa conserva, eadem res cum emulsionibus ex hordeo, seminibus frigidis „ vel amygdalis." (50) Num vero Sylvio de ipsi perhibita illa insanabilium earum phthisium causa assentire possumus? et nonne ipsi praegressi catarrhi pro sufficienti fere infausti illius eventus causâ potius habendi sunt? at, posito etiam, recte illum opinatum fuisse, observandum tamen est, de phthisi incipiente, quae perversae illi medendi rationi praeibat, illum loqui: quocum si malum imo pessimum *morem*, quem dicit, conferamus, tum et catarrhorum simplicium illo tempore frequentiam, quam supra satis demonstravimus, catarrhum in phthisin mutatum admodum frequenter vidisse Sylvium, jure concludere nobis licet.

Ex his omnibus igitur non tantum patet, ad seculi decimi septimi medium usque familiarem hac in regione fuisse phthisin pulmonalem, sed etiam, quod ad tres ejus species, a vomica nempe, haemoptoë et catarrho attinet, speciatim idem illud plus minus elucet. Phthiseos scrophulosae historia obscurissima sane est; si vero, ne Wallaeum, ut et Muysium in disq. de scrophula citatum denuo memorem, citata de dispositione phthisica Heurnii verba cum recensitis a Tulpio frequentis hac in regione vomicae causis conferamus, multas illos a scrophula phthises observasse, concludi posse videtur, sive absque manifesta causa occasionali has phthises produxerit illa cachexia, sive ob scrophulosas aegrotantium constitutiones in phthises transierint catarrhi: tanti etiam ponderis sunt illa Tulpii verba, ut J. J. van den Bosch, (51) qui adeo magnam caeteroqui inter pristini et recentioris temporis morbos vidit differentiam, illa, quamvis anno 1641 typis mandata, in frequentium hac in regione phthisium testimonium in universum adduxerit non tantum, sed et causas a Tulpio recensitas pro valentibus habuerit, addens tamen, ad illam rem mul-

(49) *l. l. p.* 567. (50) *Prax. med.* L. I, C. XXXIV. 99. *sq.* (51) *l. l. bl.* 524.

multum contulisse videri viscerum hypochondriacorum affectionem et constitutionem laxam. Si autem morbosis ejusmodi affectionibus proxime agnatam, constitutionisque laxae prolem scrophulam esse animadvertimus, inque siccis, sive calidae fuerint, sive frigidae, regionibus rarius illam provenire, sed humidas amare, simul reputamus, maxime probabile fit, vomicarum quas Tulpius, et phthisium quas Zacutus memorat, multas scrophulosas fuisse.

Auctam fuisse hac in regione recentioribus temporibus phthisin pulmonalem, plurium tamen medicorum fuit opinio: sic illud statuebant, M. van Geuns, (52) Camper (53) Coopmans (54) et Michell (55), quibus argumentis historics ducti, equidem ignoro: nec suis lectoribus illa proponere admodum curant, et in eo tantum laborem ponunt, ut causas inveniant, quas inter enumerant majorem catarrhorum frequentiam, auctam libidinem, auctum vini, theae, caffeae, sacchari caet. usum.

Super his omnibus animadverti quidem possent nonnulla: quod tamen eo minus necessarium duco, cum illud demonstratum non habeam, phthises pulmonales frequentiores esse factas: certam quandam tamen diaetae mutationem, quam illi scriptores non memorant, silentio praeterire nequeo, quippe quae phthises pulmonales diminuere potius quam augere debuerit, et quam pravis effectibus, revera forte e causis, quas illi scriptores memorant, obortis, aequilibrio quasi inserviisse, suspicari licet: imminutum volo ciborum admodum nutrientium usum, quos inter majoribus longe plus quam nobis usitata farinosa plantarum siliquosarum, arundinacearum aliarumque semina primum locum occupant. Hac de re ita sentiebat Boerhaave: (56) „ Sapienter monet „ Malpighius, sanissimum quemque mortalem, si fabis, pisis aliisve farinaceis nimium utatur, „ sub ipsius coctionis horas laborare fugaci quadam peripneumonia. (Qui fabarum copiam „ comedit, hora tertia ad sextam a pastu, asthmate laborat, neque currere potest.") Tum et de farinaceis imprimis nobis cogitandum erit, ubi Swietenus dicit: „ (57) Sanissimi aliquot horas „ post largum pastum et chylum copiosum, minus forte elaboratum, dyspnoeam sentiunt: maxime „ tamen phthisici. Haec peripneumoniae causa. Boves saepe hunc morbum patiuntur, dum, tranquilli in stabulis, vescuntur libis ex farina lini. Talis morbus bovilis *Longeyuur* dicitur." Omnes illos cibos eatenus tantum nocere posse, quatenus nimia copia assumantur, quis neget: nonne vero gravibus aeque ac facilibus cibis venrticulum farcire plerosque homines experientia docet? nec fortes multumque corpus exercentes homines permagnas gravissimorum ciborum copias absque noxa tolerare posse nego: quid vero eveniet, ubi feminae, parum loco sese moventes, infantes visceribus abdominalibus et pulmonibus teneris, viri sedentariam vitam agentes pro quotidiano cibo talibus cibis gravibus (cerealibus imprimis) utuntur, quales ante seculum decimum octavum eo magis assumti fuere, quo minus et minus post illud tempus? nonne plerisque, etiamsi haud magna esset intemperantia, quotidie subeundus fuit asthmatis vel peripneumoniae fugacis accessus? et nonne hoc modo multis in casibus phthisi pulmonali via sternebatur, id quod hodie minus nobis metuendum est, eo quod citius degeruntur, aut saltem minus chy-

(52) *Staatk. handhaving enz. bl.* 112. (53) *De morb. chron. pulm.* C. IV. § 4.
(54) *Or. de med. indig. in Opusc. vol.* I. *p.* 205. (55) *Verh. van het Utr. Gen.* D. III. *st.* 1. *bl.* 475.
(56) *Prael. in propr. Inst.* T. VI. *p.* 138. (57) *Comm.* T. II. *p.* 716 *et* 762.

chyli praebent soliti nostri cibi? Si autem verum hoc est, quanto non magis id valet de illis, qui in phthisin proni erant vel incipiente jam laborabant, quanto non ocyus haec formari debuit, et quanto non celerius decurrere.

Ad quaestionem (ut unum hoc, cujuscumque demum momenti, addam) utrum valde auctae sint phthises pulmonales, non difficile foret responsum, modo ad manus nobis essent mortuorum indices: ab hac vero parte claudicat, proh dolor! toto nostro disputatio. Ne igitur in hac penuriâ ea praetermittamus, qua in transitu habet Boerhaave, dicens: (58) „In Belgio decima „fere pars morbis chronicis laborantium moriuntur phthisi (*pulmonali*)." Quamvis enim inter antiquos reponendus non sit ille auctor, illius tamen aetate longe alium quam suâ regnasse morborum genium duxisse inter alios Michellium, in disq. de morbis catarrhalibus vidimus. Ponamus *laborantium* pro *mortuorum* dixisse Boerhaavium. — Quaenam igitur morbis chronicis mortuorum Boerhaavio fuit ratio: non liquido constat: cum autem mihi Amstelodami degenti e sedecim quinque circiter morbis acutis (e mente Aph. Boerh.) occumbere soleant, per universam regionem Boerhaavii tempore sex hac ratione periisse pono, ita ut e sedecim letis unum fuerit a phthisi pulmonali. — Quaenam autem hujus rei Michellii tempore fuit ratio? Quod respondeam, nil habeo, nisi ex Actis Societ. ad Comm. Epist. erutum. Qui vero hisce continentur, mortuorum indicum, quod ad phthisin pulmonalem attinet, adeo confusi sunt plerique, ut in usum vocari cum emolumento nequeant, quemadmodum ejusmodi quid etiam sensit doct. Nieuwenhuis in sua Topographia urbis Amst. — Omnibus autem iis indicibus obscuris sepositis et non nisi illis adhibitis, qui expresso nomine *phthisi pulmonali* mortuos indicant, numero duodecim, (59) computo inito, e 1215 septuaginta quinque adeoque decimum sextum circiter quemque phthisi pulmonali periisse invenimus, id quod cum Boerhaavii culculo satis congruit.

DISQUISITIO XVII.

DE DIABETE.

Quamvis de hujus morbi natura non penitus constet, nostra tamen attentione apprime ille dignus. Sive enim, totius organismi ratione habita, illum cum Rollone quis consideret, sive cum

(58) *Prax. med.* T. V. *p.* 136. (59) *Verh. der Corr. Soc.* D. I. *Afd.* 2. *bl.* 46. *Afd.* 3. *bl.* 104. 130. 228. D. II. *Afd.* 1. L. G. *bl.* 98. D. III. *bl.* 52. 52. D. IV. *bl.* 152.

cum Pembertone tanquam ventriculi aegritudinibus agnatum, sive cum plerisque tanquam a renum laxitate profectum, quovis modo cum nostro argumento cohaeret. Idcirco tamen imprimis eum hic memorare, meum erat, cum hodie quam olim frequentiorem illum esse, nonnulli contenderint.

Rarissimum diabeten habuisse veteres notum est: quae a duobus vel tribus abhinc seculis hac in regione illius fuerit conditio, sequentes annotationes aliquo modo doceant.

Dodonaeus (60) unum casum habet diabetis manifeste chylosi. — Semel tantum illum se observasse, testatur Lommius, (61) dum viginti quinque annorum spatio ter illum viderit Tulpius. (62) — Ab Antonio de Heyde unum diabetis melliti casum annotatum invenimus: (quod vero Zacutus (63) dicit, quinquies sibi observatum fuisse illum morbum, huc referre non audeo, cum, an hac in regione, non constet). — Stalpart van der Wiel (64) unum descripsit diabetis chylosi casum, in quo urinae excretae quantitas modum naturalem non excessisse videtur: Regius contra casum, in quo potus ingestus a natura vix concoctus protinus excernebatur. — Diabetis chylosi casum observarunt Broen (65) et Dekkers, dum diabetis duos casus, chylosi alterum, (66) alterum serosi (67) citet Blancardus.

Quamquam igitur ad illud usque tempus, quo potus calidos adhiberi, coeptum est, rarus fuerit Diabetes, de tempore tamen in tempus illum fuisse observatum, apparet: videamus jam, quae illa de re recentiores scriptores annotaverint.

Quae Boerhaavii fuerit sententia, valde dubium: *Instit. rei med.* § 824 ita sonat: „ Diabetes est urinae chylosae vel lacteae frequens et copiosa trajectio: causa ejus censetur nimia laxitas fibrarum in arteriolis urinosis, concurrens simul cum humoribus valde dilutis, quae utraque ab aquosis." Hoc malum frequens factum fuisse, postquam Bontekoe Theae potum commendavisset, quippe diuretici hi potus, cum et humores adtenuent et vasa laxent, duplici modo noceant, ad illum § in suis praelectionibus annotasse Boerhaavium, testatur Hallerus. Utri autem fides nobis habenda est, Halleri illi dicto an vero sequenti Haenii: (68) „ Diabetes verum urinae chylosae profluvium est, raro observandum. (*Probe notandum proprium hoc Haenii testimonium, at porro*:) Boerhaavium fere septuagenarium dicentem audivi, quod in tota vita, bis modo vidisset, ridentemque vidi, quod junior auctor Anglus de diabete, veluti de morbo in dies obvio, scriberet:" Harum relationum alterutram falsam esse, patet, vel sibi non constitit Boerhaave: nec diabetis specierum differentia rem expedit: forte tamen intemperantiae, quam introduxerat Bontekoe, significavit Boerhaave, poteruntque hac ratione conciliari diversae illae sententiae. Quidquid sit, rem ipsam talem habeo, qualem Haenii verba indicant, cum illam confirment hujus ipsius, tum et aliorum brevi ante et brevi post Boerhaavium medicorum testimonia.

Sic unum tantum sibi observatum casum memorat Swietenus. (69) — Ab H. G. Oosterdyk (70) diabetis casum descriptum invenimus: quam rarus tunc habitus fuerit ille morbus, ex eo ap-

(60) *Medic. obs. p. m.* 74. (61) *Obs. med. p.* 216.
(62) *Obs. med. p. m.* 169. (63) *Opp.* T. II. *p.* 451. *et Prax. adm. p.* 64.
(64) *Obs. rar. Cent. post. p. m.* 391. (65) *Animadv. in* REGII. *Praxin. p.* 574.
(66) *Nieuw-ligtende Praktijk. bl.* 290. (67) *Van de Werk. der Medic. bl.* 104.
(68) *Prael. in* BOERHAAVE *Inst. pathol.* T. II. *p.* 361. (69) *Comm.* T. II. *p.* 274.
(70) *Verh. der Haarl. Maats.* D. XII.

apparet, quod *illam ob causam* celebrem illius temporis medicum Hovium invitaret Oosterdyk, ut secum aegrotantem inviseret, eoque majus illud est, cum diabeten mellitum fuisse nil probat. — Diabetis serosi, qui continue recidivus letalis tandem evasit, casum narat Macquet: (71) chylosi exemplum non habet. — De hoc ultimo vix se loqui audere, quippe rarum illum morbum minus expertus, testabatur van der Haar, (72) dum in Actis Soc. ad Comm. Epist. duo testimonia inveniantur, Volckeni (73) alterum de Ultrajecto, ibi raro, si unquam, verum occurrere diabeten; Rôbollii (74) alterum de Enchusa, illic de diabete nullam omnino mentionem fieri.

Hisce omnibus, quam rarus recentioribus etiam temporibus hic fuerit ille morbus, indicantibus, unum illud addo, a doct. à Roy me accepisse, in quinquaginta fere annorum praxi bis tantum sibi observatum fuisse genuinum diabeten. Quî autem fieri potuit, ut omnibus illis non obstantibus, in nostratium morbis non adeo rarum esse diabeten, quam nonnulli quidem putarunt, eumque atrophiae, neuroses sequentis, causam esse, statuerit Michell? (75)

De laxitate e multorum opinione a potuum calidorum usu renibus illata sequentia insuper addere liceat: Nihil" inquit Boerhaave (76) „ majorem perniciem renibus infert, quam tepidi „ potus abusus, conjunctus cum ocio et vita sedentaria. Ita enim nata laxitas renum occasi- „ onem dat errori loci, sed elapso sanguine extra propria vasa, nata est certissima causa calculi „ renalis" Si cujus, hujus sane rei contrarium dein probavit experientia: nec aliam prorsus aliis hac de re fuisse opinionem, ignorabat Boerhaave, id quod e nota illis verbis subjecta patet. Mirandum porro ab illo, loci errore, elapso sanguine non etiam haematuriam derivasse Boerhaavium, id quod probabilius sane fuisset: explicari, me judice, hoc nequit, nisi statuamus, illum in iis, qui multum Theae potabant, haematuriam non observasse, qua ratione et theoria et universa sententia cadere mihi videntur: nec sine jure igitur ad calculum et haematuriam theae potum commendare potuit suo jam tempore Bontekoe. (77).

Quosnam autem morbos ob oculos habuere illi e recentioribus medicis, qui renes ab eo inde tempore, quo potuum calidorum usus invaluit, in universum debilitatos statuerunt: an cum Boerhaavio calculum urinae? hic vero valde imminutus fuit? — an haematuriam? morbum satis rarum, quid probat hodie, quam olim frequentiorem? — an diabeten? hic morbus, quem tamen pro renum laxitatis effectu plurimi habent, hodie etiam rarissime occurrit. Quinam ulterius significari potuerint morbi, plane ignoro.

(71) *Inl. tot de Pathol.* D. II. *bl.* 325. (72) *Proeve over de herzenen enz. bl.* 54.
(73) D. I. *Afd.* II. *bl.* 506. (74) *ibid. bl.* 827.
(75) *Verh. van het Utr. Gen.* D. III. *st.* 1. *bl.* 594.
(76) *Prael. in propr. Inst. Vol.* III. *p.* 256. (77) *l. l.* D. II. *bl.* 268.

DIS-

DE NEUROSIBUS CHRONICIS.

Cum adeo saepe, ac unicuique procul dubio lectori, ut mihi, evenit, de hodierna nostratium systematis nervosi debilitate, tum et de morbis inde ortis, querelas audimus, praedicatos vero simul majores tanquam ferreum et durissimi sensus hominum genus, quibus cunctae illae aegritudines incognitae fuerunt, ultimum hoc diversissimis pristini temporis auctorum testimoniis quantopere improbetur, jure demiramur.

De *nervorum morbis*, ut pervulgatum est, mentionem fere non faciunt antiquiores nosologi, nec alio etiam sub nomine de illis, in universum sumtis, loquuntur; specialium itaque morborum historia facem hic nobis praeferre debet: de quibus tamen conjunctim dicere potius duxi, quoniam, quamvis illorum morborum vinculum bene perspectum habuisse non videantur antiquiores medici, in eorum tamen scriptis multa inveniantur testimonia, quae illarum specierum plures unâ attingunt.

Apud Lemnium, qui ex antiquissimis nostris scriptoribus est, notabilis exstat locus, supra jam pag. 31 allatus, e quo manifesto apparet, illius auctoris tempore apud Belgas maritimos admodum frequentes fuisse catarrhos: eodem loco de sequentibus etiam morbis, plus minus ad neuroses referri solitis loquitur: apoplexia, lethargo, stupore, epilepsia et paralysi, de quibus idem, quod de catarrhis, valet. Accedit ex eodem auctore aliud quid, cujus momentum mox visuri sumus, de morbo, qui saepe quidem mere nervosus non est, propter affinitatem tamen cum multis aliis morbis, praesertim cum chronicis abdominis affectionibus, attentione nostra perquam dignus est: melancholiam dico: „ Sunt complures" inquit (78) „ in hac regione (*Zelandia*) tetrici, „ moesti, superciliosi, melancholici, qui affectus a Brabantis ac Flandris sunt alieni — eoque „ fit, ut Zelandi studeant affluentiore potu has animi carnificinas opprimere." Complures etiam facetas melancholicorum historias narrat, cujusmodi casuum an major copia hodie occurat, dubitare licet. — Mirum tamen forte videri posset, Lemnium in libro huic argumento aptissimo, de summo melancholiae gradu, qui nempe ad sui caedem ducit, diserte non loqui: nonne vero illum significat, ubi dicit: „ (*Daemones*) melancholicos ad invidentiam, aemulationem, — — moestitiam, desperationem ac diffidentiam, postremo ad calatimosum funestumque exitum adigunt" (79), et nonne ipsa illa de daemonibus persuasio causa haberi potest, cur de illa re, quasi ad medici campum non pertinente, nullam fere ab antiquioribus medicis factam mentionem inveniamus? ejusmodi etiam quid, melancholiam (*mentis*) nempe fori medici non esse, opinio forte effecit, ut obiter tantum de illa re egerit, nec nisi medicos, ut ita dicam, illius effectus, e. g. febres hecticas, pertractaverit Forestus.

Cum Lemnio tamen de melancholia queritur Eugalenus, qui in longe alio hujus regionis tractu artem exercuit: illud supra jam pag. 59 probare conatus sum, quo lectorem relego, visurum, nisi Forestum, certe tamen Eugalenum non minus ample, quam auctores, qui seculum post vixere, de melancholia aliisque scorbuto conjunctis neurosibus loqui.

Ejus-

(78) *ibid. p.* 341. (79) *De habitu corporis. p.* 140 *et* 22.

Ejusdem porro morbi seculo decimo septimo ineunte frequentiam e Nonno colligere licet, quippe dicit: (80) „ Carnis bubulae sale conditae frequentior esus melancholicas passiones indu-„ cit, non secus ac fumo induratae, quae septentrionalibus in deliciis est." Cum autem hujus regionis incolis quotidiano, Nonni tempore, victui esset dicta ratione condita caro, cumque certum quemdam morbum certo quodam tempore familiarem fuisse, statuere nobis fas sit, ubi certas quasdam res, quibus illius temporis auctores, sive recte sive perperam illum morbum tribuunt, familiares tunc fuisse constat, illius, quod modo dixi, veritas elucet: accedit similis ab alia Nonni sententia conclusio, assiduo nempe panis optimi usui lienis et hepatis obstructiones attribuentis, quibus continue obnoxii erant ditiores, morbos scilicet, unanimi illius jam temporis medicorum suffragio, melancholiae adeo affines.

Quid de flatibus, tanquam morbo maxime vulgari, dixerit Fienus, supra pag. 72 jam vidimus: praeter hystericas affectiones, iis non tantum imi ventris morborum catervam adscribit, verum etiam quamplurima mala, nervosa nobis haberi plerumque solita: ut intolerabiles cephalalgias, vertigines, cordis palpitationes, ne aurium et dentium acerbissimum cruciatum, pectorisque et spinae distensionis sensum, memorem: (81) eodem hoc igitur modo, flatibus nempe productis, fieri potuit, ut pisa (cibus quotidianus) nervis inimica vulgo dicta sint, id quod de suo tempore testatur Beverovicius (82).

Non longo tempore post scribebat Sylvius, (83) hisce in regionibus non infrequenter observari suffocationis hypochondriacae duas species, alteram graviorem, alteram leviorem cum animi deliquio et pulsu ad sensum obliterato conjunctam: magnam illis verbis frequentiam haud significari fateor, at nostram id dicens praesertim ob oculos habuisse regionem utique mihi videtur Sylvius: nec de feminis tantum dici potuisse illa, quis credat: quippe in universum vulgarem tunc fuisse hypochondriasin, iis etiam in locis, qui sanos validosque homines alere dein etiam dicti sunt, probant Swalvii verba supra in disq. de ventriculi morbis citata.

Allatis huc usque de hypochondriasis ante potus calidos introductos frequentia, nonnulla alia addam, scriptorum nempe, qui tempore certe vixerunt, quo illos potus, perpetuae illud objurgationis argumentum, introduci coeptum erat, ipsam illam vero ob causam satis longo temporis intervallo a nobis remoti sunt, ut ratione ab hodiernorum illâ plane diversa de nonnullis morbis loqui potuissent.

Swalvii effatum a Blancardo (84) plene confirmatur, quippe qui passione hypochondriaca, quam comitatur lien tumidus et obstructus, Frisios laborare dicat: causam assignat frequentem ciborum gravium usum, accedente lactis ebutyrati acidi potu, id quod ditiores tantum non significasse illum, probat.

Ab illis obstructionibus, ab illa hypochondriasi cum materia, multos illo tempore medicos scorbutum derivasse, supra vidimus: hoc vero non excludit, iis non etiam attributas fuisse affectiones nervosas, sive illud, quod alio nobis sensu hypochondriasis audit, id est, illo tempore affectionibus nervosis stipatum non fuisse scorbutum, morbum adeo vulgarem tunc habitum: hoc enim non tantum ex illius temporis scriptoribus colligere licet, ut luculenter jam vidimus, verum etiam diserte id testantur. „ Scorbutus est prava totius corporis nutritio, ejusque mater affectio „ hypochondriaca " sunt Barbettei verba, (85) in quae Mangetus annotat, scorbutum iis in regi-

(80) *Diaeteticon. p.* 210 (81) *l. l. p.* 53. (82) *Alle de werken* D. I. *bl.* 93. (83) *Opp. p. m.* 199.
(84) *Nieuw-ligtende Praktijk. p. m.* 268. (85) *Opp. omnia. cura* MANGETI *p.* 134.

gionibus, ubi familiaris est, saepius affectioni hypochondriacae adjungi, indeque esse, quod affectioni hypochondriacae saepissime supervenire uterinum affectum, hisque saepe jungi scorbutum, Highmorus dicat. Idem etiam sentiebat de Moor: luculenter enim illud patet, ubi de vertiginis idiopathicae speciebus locutus, ita prosequitur. „ Reliquae species sunt symptomaticae, ut ea, „ quae affectionem hypochondriacam aut scorbuticam, aut etiam ventriculum debilem sequitur:" dum alibi in eo Willisium laudet, quod inter scorbuti symptomata vertiginem hic enumerasset, id quod omisisse Eugalenum, se mirari aït (86). (Nonne tamen hac in re facile excusandus Eugalenus, qui regula generali 13ª. scorbuti diagnosin a facili lipothymia petit?)

In *Miscell. Nat. Cur. Dec. II ann.* 3. *obs.* 3. hypochondriacam affectionem affectum rarum et varium quidam dixerat; melius tamen varium, quam rarum dici, in illa verba annotat Broer, (87) cui profecto assentiebatur A. de Bonne-maison, (88) anno 1678 scribens: „ Dies me deficeret, „ omnia si vellem hujusce morbi multifidi vel complicatissimi τεκμήρια, quae praestantissimi viri „ sive in scholis, viva voce seu editis in libris memoriae prodiderunt, *Drelincurtius*, *Schacht*, „ Willisius, Platerus, alii." Hypochondriasin sive melancholiam religiosam frequenter se observasse, testatur Blancardus (89) et seculo decimo octavo ineunte de eadem re querebatur Buyzen, qui medicus simul et V. D. minister illi observandae aptissimus natus erat, illamque hypochondriasi potissimum tribuebat. (90)

En alteram igitur testimoniorum seriem de illa neurosi, quae aliarum historiae illustrandae, ob latum sibi campum, egregie inservit non tantum, sed et omnium pro exemplo fere haberi potest. Allatorum autem sensus et pondus melius fere sentitur, quam verbis exprimitur, et conclusioni verborum ambage non opus est: pauca tamen super illâ addenda habeo, postquam prius de nonnullis aliis argumenti partibus egerim.

Si hypochondriasis pristinis temporibus frequentia non difficulter ex historia eruitur, longe difficilius de aliis nervorum affectibus ejusmodi quid determinatur, quod ipsa rei natura efficit, cum illorum plurimi tot simul homines non invadunt, nec adeo generaliter de iis, ac quidem de hypochondriasi, dici queat; hanc igitur etiam rem expedire tantum valuissent accurati aegrotantium indices.

Quamvis igitur de illorum morborum plurimis mihi silendum sit, de nonnullis tamen hic et illis quaedam inveniuntur, que nostrum argumentum illustrant: sic Dodonaeus, (91) Egberto teste, Tetanum semel tantum, Emprosthotonum vel Opisthotonum nunquam se vidisse, narrare solebat: ultimum tamen morbum se vidisse ipse testatur Egbertus. Spasmum, quo nomine dictos tres morbos comprehendebat, raro in Hollandia occurrere existimabat Bontius (92), quod idem sensit non longum post de Moor (93), suâ sibi non tantum, verum aliorum etiam experientia fisus. Cunctis hisce testimoniis e nostro tempore quod opponam non habeo, nisi quod doct. à Roy narrantem audivi, exquisitum Tetanum quinquaginta annorum spatio numquam, Opisthotonum semel tantum se observasse.

Quemadmodum igitur olim fuere, sic et hodie admodum insolitae sunt exquisitae illae affectiones spasmodicae. Quod autem ad minus vehementes spasmos et convulsiones attinet, multo dif-

(86) *l. l. p.* 86 *et* 89. (87) *Animadv. in* REGII *praxin med. p.* 441. (88) *Diss. de melanch. hypochondriaca. p.* IX.
(89) *l. l. bl.* 65. (90) *Practijk der Med. p. m.* 194. (91) *Prax. med. cum.* EGBERTI *scholiis. p. m.* 245.
(92) *De medicina Indorum. p.* 120. (93) *Pathalogia cerebri. p.* 352.

difficilior est comparatio, et adeo quidem, ut, cum illud tantum generatim dici posse mihi videatur, antiquioribus auctoribus frequentem esse de illis affectibus mentionem, ut, inquam, pluribus disputando ad nugas facile abirem: nonne tamen aliquid hac in re lucis nobis affert Tetani caet. historia?

De paralysi illud tantum monebo, ex Eugaleni sententia, qui idem illud de multis aliis morbis statuebat, multum abfuisse, ut illa veterum paralysi aequiparari posset. „ Paralysis (et hemi„ plegia) veterum" inquit (94) „ in otio et crapula liberaliore viventibus, obesis et plethoricis „ accidere solet. Nostra scorbutica tristioribus cogitationibus diutius indulgentes et moestos „ premit." Horum verborum pondus tunc primum recte sentitur, quando in memoriam revocamus, moestitiam inter praecipuas scorbuti causas remotas habuisse Eugalenum, et hypochondriasin, foecundam illam moestarum cogitationum parentem pro scorbuti, omnium fere vernaculorum morborum individui comitis, causâ proximâ: — arthritidem etiam scorbuticum sive morbum varenum semper levi paralysi stipari, existimabat (95) (†).

Magni nostro argumento momenti et pulcre scripta sunt ea, quae de variis nervorum morbis, quibus omnibus *languor* communis est, dicit Sylvius: (96) quamvis autem, morbis illis multum laborare Belgas, diserte non affirmet, hanc tamen illi opinionem fuisse, satis liquet: omnes enim illas affectiones ducit a pulsu parvo et debili; cujus causam quaerit in sanguine et humoribus inde secretis pituitosis: quod si porro Belgium uberem pituitae omnigenae parentem ipsi dictum videamus, hanc imprimis regionem ob oculos habuisse Sylvium, ubi dictas *languoris* species recenset, non potest non nobis esse persuasum: quam egregie autem, ut et hoc addam, illud non convenit cum Eugaleni effato, (97) omnibus iis, qui scorbuto laborant, pulsum parvum esse, debilem et inaequalem, (adeo nonnumquam, „ ut vivere hominem cum tali pulsu posse," Italus medicus ad„ miraretur") quod quam vulgare statuere debuerit Eugalenus, non est quod dicam.

Potuum aquosorum calidorum imprimis abusu recentioribus temporibus frequentiores factae neuroses dicuntur: nec brevi jam post introductum illorum usum, illas incepisse querelas, negari potest. Moderatum illorum potuum usum commendabat Blancardus, et sane, modice adhibiti, inter melancholicum, ut ita dicam, illius temporis victum, non aliter quam prodesse potuerunt: sic ad Incubum theae potum commendasse Blancardum, (98) nulli mirum videbitur: ab illorum, tamen potuum abusu oriri posse et revera oriri nervorum affectiones, ipsi non latebat: languorem et tremorem sigillatim memorat. (99) De eadem re Gorisio persuasum erat, qui, ut supra vidimus, de tremore et paralysi loquitur. (1) Abusum tamen, de quo uterque dicit, illum fuisse, quem Bontekoei praecepta introduxerant, pro certo habeo. Ibi etiam, ubi plurimos, qui potibus illis diu abusi, languida membra vix traherent, plures etiam apoplexia et paralysi correptos se vidisse, Swietenus narrat, (2) de abusu Bontekoeano, me judice, cogitandum, quippe quod reliqua simul allata indicare videantur. Eodem illud jure statui nequit, ubi e potibus aquosis, tanto apud Batavos in usu, sui temporis vertiginem maxime pendere, se credere Boerhaavius ait: (3) inter Blan-

(94) *ibid. p.* 105. (95) *ibid. p.* 137.

(†) Tantum abest, ut praecedentium seculorum mores paralysin averterint, ut, antiquitus plures quam hodie Londini fuisse paralyticos, constare dicatur in *the London med. repos. June.* 1820. *p.* 502.

(96) *Prax.* L. I. C. XXXIV. (97) *l. l. p.* 41. 74. *sqq.* (98) *Nieuw-ligtende Praktyk. bl.* 31.

(99) *Van de werkingen der Medicamenten. bl.* 95. (1) *l. l. p.* 182. (2) *Comm.* T. III. *p.* 362.

(3) *Praelect. de morb. nerv.* T. II. *p.* 612.

Blancardi tamen et Swieteni aetates cum illa Boerhaavii intercedat, illud saltem suspicari nobis licet. (Conferantur tamen ea, quae de vertigine, similibusque supra vidimus.)

Omnibus hisce quod volo, hoc est: an opinio, potuum aquosorum calidorum imprimis abusu adeo frequentes hodie esse neuroses et, quos simul hic enumerare fas sit, ventriculi aliosque morbos, an illa, inquam, opinio eâ re confirmatur, quod ab illis auctoribus, qui eos potus hic introductos viderunt, illorum abusui majorem dictorum morborum frequentiam directe attributam videmus? equidem negaverim, quoniam illius aetatis hac in re intemperantia hodiernum abusum tantopere superat, ut qui uno omnium ore hodie dictus fuerit abusus, variis illius temporis famosis, at mente laevis, medicis, imbutoque ab illis praejudicata opinione vulgo non nisi moderatus usus dictus fuisset.

Quod ad recentiores auctores, difficilius sane dirimitur res, cum et manifesta ab illo abusu producta incommoda et illis superstructae clarorum medicorum admonitiones istum non potuerint non insigniter coërcere furorem, ideoqne Haenii e. g. tempore multo moderatior nobis statuendus sit usus.

Nihilominus de illa re non mitius judicat ille auctor, morbosque, de quibus hic sermo est, suo tempore auctos pro certo habet: de aliis morbis, quibus ab introducto potuum calidorum usu idem evenisse statuit, locutus, ita prosequitur: (4) „ Numquam excreverant in tantum exercitum „ homines cum debilitatis nervis, numquam animadversum densum adeo agmen Hypochondriacorum „ et Hystericarum ex debilitatis solidis, adtenuatis fluidis." Quo jure autem haec dixit de Haen? ocularis ipse dictae mutationis testis non fuit, quae ideo ex historia ipsi demonstranda fuisset, id quod frustra quaero: nec ad potus calidos ut confugerent, opus fuisse Boerhaavii aequalibus medicis, quibus hypochondriasis frequentiam explicarent, mihi hercle probat, quod in decem dissertationibus inaug. de hypochondriasi, ante annum 1725 scriptis, (5) omnibus nempe iis, qui mihi ad manus sunt, nullam omnino de theae potus noxa mentionem factam invenerim. Ulterius haec habet: „ Juvabat illos *(potuum calidorum amatores vel laudatores)* „ quod Leeuwenhoekius ex pulchris suis „ inventis, et maxime quod a moleculis sanguinis auctis obstructiones nasci microscopio viderat, „ hanc adtenuationem humorum et aquosorum potuum abusum ultro propagaret." Quid hoc sibi velit, plane ignoro: nonne enim ipsae, quas in abusu illo propagando Leeuwenhoekiana theoria egisse dicitur, partes nobis persuadere debent de anteriori obstructionum (hypochondriaseos) frequentia, quarum probatum tandem inventum esse remedium, celebratorum ejusmodi inventorum gratia, sibi fingebant? Animadvertit denique de Haen: „ Unicum forte lucrum, quod in foede- „ rato Belgio inde tulerunt, est scorbuti, olim ibi loci saevientis, nunc paulo mitior natura et „ genius." — Cum autem vehementiorem antecedenti tempore scorbutum fuisse statuerit Haenius, et ex antiquioribus scriptoribus illud cognoscere debuerit, qui, quaeso, affinitatem, quam scorbuto cum hypochondriasi intercedere, uno fere omnes illi ore affirmabant, negligere potuit?

Quidquid sit, de Haen ipsiusque aequales in censum hic venire proprie nequeunt, cum omni-

(4) *Praelect. in* BOERHAAVE *Instit. pathol.* T. II. *p.* 32.

(5) DE BONNE-MAISON. L. B. 1678. — WALTER. *Pr.* DRELINCURTIO. L. B. 1688. — H. OOSTERDYK SCHACHT. L. B. 1693. — GESENIUS *et* ADRIANI. Traj. 1704. — DU MOND. Traj. 1705. — VAN BUREN. L. B. 1711. — VAN DER HAGHEN. L. B. 1715. — VAN SUCHTELEN. L. B. 1718. — HELE. Traj. 1719.

nia, quae introducti potuum calidorum usus tempore et antea acciderant, illis aeque ac nobis ad historiam attinerent: praeterea historiam indagare nostrum hic est, non vero e causis disputabilibus illam fingere.

Nervorum morbos recentioribus temporibus valde fuisse auctos, varii contenderunt iique clari medici; quorum nonnullos recensere liceat: — Gaubium, Bickerum, Geunsium, Bosschium, Michellium aliosque: — talia, fateor, nomina maximam etiam persuasionem concutere queunt, at quamvis amicus Plato, amicus Socrates, magis amicum sit id, quod verum videtur.

Quamvis autem ex hucusque allatis, magnam, me judice, partem nobis persuasum esse debeat, inter pristina et recentiora tempora, quod ad neuroses attinet, non adeo magnam existere differentiam, ac a nonnullis quidem praedicatum fuit, ad majorem tamen hujus rei illustrationem, rationum, quibus sententiam suam fulcire conati sunt modo dicti medici, auctoritatis, qua valent, gratiâ, nonnullas examinare lubet.

Gaubius haec habet: (6) „ Colica spasmodica, quam difficilis alvi obstructio plerumque co„ mitatur, inde ab annis fere 40 longe, quam olim, vehementius per Hollandiam nostram gras„ satur. Et in universum omne genus morborum, qui infirmato nervorum tenori tribuuntur, „ quique cum spasmis et convulsionibus, tum leipothymiis, ipsum vitale principium infestant, „ maximeque in viscera abdominis saeviunt, inter nos hodie multum invalescere, nemo practico„ rum negat." Primo hic loco respiciantur illa, quae in disq. de Col. Pict. antea vidimus, quippe quae satis indicare mihi videantur, quam levi fundamento innitantur illa, quae in allata periodo de abdominis affectionibus simul praesentibus dicit Gaubius: nonne vero e colicae spasmodicae cum aliis neurosibus affinitate, tum et e tota allata periodo colligere licet, illud, quod de prioris morbi aucti tempore dicit auctor, de posterioribus etiam intelligendum esse? Quare igitur ab anno circiter 1730 majorem illam frequentiam computat? Quare non ab illius inde seculi initio? · Quare non ab anno circiter 1670, tempore nempe, quo in usum vocari coepere potus calidi? historiam consulens, causam equidem frustra quaero, nisi forte in errorem Gaubium induxisse habendae sint colicae illae Pictonum, quarum centenas se observasse Boerhaavius aiebat. Quod autem ad auctas illas convulsiones et leipothymias attinet, prius quo jure contenderit Gaubius, ignoro, dum posterius refutare mihi videantur supra allata Eugaleni de eadem re, Sylvii de suffocatione hypochondriaca et morbis a languore, aliorumque testimonia.

Videamus jam, idque paulo etiam accuratius, de celebrata Bickeri opinione.

Admodum indefinite in universum loquitur ille auctor, quod non tantum ex insigni, quae ipsius dissertationi anno 1782 scriptae, cum ipsius additamento ad Whyttii opusculum quindecim annos ante concinnato intercedit, differentia manifestum est, verum etiam sequentia probant: „ Hac „ in regione" inquit (7) adeo universe regnare neuroses, demonstratione non eget" (*Super hac re animadverti possent nonnulla at recte propositam ponamus*) „ Nec, hodie quam olim fre„ quentiores esse illas, probatu difficile." (*Videamus*). „ Auctae querelae, aucta in congressibus „ et scriptis mentio, aucta medicorum attentio, major remediorum specificorum copia sponsores „ sunt." (*Levissimi hercle ponderis*) „ Imprimis vero nostrae constitutionis cum illa majorum „ ab

(6) *Adversaria. p. m. 56.*

(7) *Ver toog enz, achter* WHYTT *over de Zenuwziekten bl. 356. sqq.*

„ ab historicis literis proditâ comparatio " (*Denuo igitur judicium, aliter esse non posse, loco demonstrationis ita esse: — quodcumque autem probaverit ista comparatio, seculi decimi sexti et septimi de neurosibus testimonia deleri nequeunt, et plane falsum est, quod Bicker dicit, circa annum* 1680 (8) *incognitas fere fuisse neuroses.*)

Alio loco ita loquitur: „ Nostra regio neurosibus, imprimis melancholiâ, male famosa." (9) De hac re, quamvis equidem dubitem, constare pono, at lectorum unumquemque rogo: an prae caeteris melancholica dici potest Batava gens, dummodo nempe habitus hilaris defectus sensu non sumatur illud vocabulum, quippe qui cum contento animo rectissime coïre queat? et nonne contra hoc morbo, quemadmodum in universum meris neurosibus, ob nativam indolem prae multis aliis gentibus immunis est illa? — Paulo post seculi praeteriti medium illud scribebat Bicker; a quo autem inde tempore praeterierat felix illa melioris mentis status aetas? a dimidio, et quod excurrit, tantum seculo: idque extranei scriptoris fide statuit Bicker: „ Extranei etiam" inquit (10) „ nostratium temperamento contrariam habent melancholiam: sic seculo decimo septimo „ exeunte dicebat Temple, peregrinos hic hypochondriacos esse, raro vero ipsos incolas, „ quod a labore et temperantia ita fit, et melancholiam subtiliorem esse morbum huic regioni et „ populo, qui sanus est, dummodo in agone non sit, (*an hoc integrae valetudinis encomium?*) „ et contentus, dummodo non inquietetur. Hinc etiam patet, falsum esse, alio olim nomine in- „ signitum fuisse hunc morbum." (*Verissime dictum: ipsam hanc vero ob causam hac in re ea antiquiorum scriptorum loca adire oportet, quae de humoribus peccantibus agunt.*) Num autem plus apud nos valere debet testimonium Templii, quam (ne de antiquioribus dicam) aequalium illud indigenarum medicorum Swalvii, Blancardi, Broenii, Buyzeni, Bouweri, (11) caet.? testimonium cujusdam, non tantum non indigenae, verum etiam non medici, atque adeo populi, et gaudia et dolores animo recondere solentis, sanitati dijudicandae imparis habendi. At dixerit forte lector: recte opinatos fuisse seculi septimi exeuntis medicos, jam statuis, et modo in testimonium me vocasti, per excellentiam melancholicam non esse Batavam gentem: — fateor, at secum invicem illa non pugnant: extraneus erat Temple et nostratium indolem et mores, terrae natalitiae (Angliae) mensurâ, cui, ut compleretur, multo non opus erat, probabiliter mensus est: tali modo constare possunt indigenarum medicorum testimonia, etsi Templio longe aliter visum sit: et hinc Bickeri error: genuinam populi indolem observabat, cum Templii verbis, antiquiorum medicorum testimonii loco, comparabat, insigniterque igitur mutatam esse populi indolem, consequenter statuebat, id quod tamen a veritate alienum erat. — Cum Templii effato, (ut et hoc addam) peregrinos hic hypochondriacos esse, raro vero ipsos incolas, digna est, quae conferatur disp. inaug. G. Walteri anno 1688 L. B defensa *de suffocatione hypochondriaca in viro:* quaenam auctori et praesidi Drelincurtio tum et Pechlino historiam referenti hujus hypochondriasis peregrinum in Germania inferiori adortae primaria fuit causa? aëris crassi et salsi, alimentorumque crassiorum et salinorum soboles, endemius ibi morbus scorbutus.

Nervorum morbos valde fuisse auctos, opinabatur etiam van den Bosch, cujus rei causas Bickerum ample explicuisse aït: huic vero qua ratione congruit id, quod alicubi dicit, (12) vel abs-

(8) *Verh. van het Utr. Gen.* D. III. *st.* 2. *bl.* 146. (9) *Vertoog enz. bl.* 357. (10) *ibid. bl.* 389.
(11) *Weg ter gezondheid. bl.* 128. (12) *l. l. bl.* 456.

absque animadversione citat, in Transisalania frequentes esse dysphagias et neuroses, incertum autem esse, an in coffeae et theae abusu quaerenda esset illius rei causa, cum *ut nobis, sic Sydenhamo observati fuerint illi morbi*, idque aetate, qua in abusu (*in usu*) non erant illi potus? — Hujus regionis conditionem non commonstrant sane illa, quae seculo decimo septimo medio in Anglia accidere, nonne autem ipsius Sydenhami opera eo citantur, ut inde universe sthenica illius temporis morborum indoles demonstretur.

In disquisitione de morbis catarrhalibus jam dixi, majori horum frequentiae neuroses auctas attribuere Michellium, et vice versa neurosibus auctis morborum catarrhalium propagationem, ideoque in circulo manere, quem eo minus concedere queo, cum de catarrhalibus morbis auctis mihi persuasum non sit, ideoque nec neuroses, tam causarum, quam effectuum respectu, frequentiores habere possim: in eo etiam errat Michell, quod causas indaget, priusquam rem demonstraverit: ne autem criticae nimium indulgere videar, hic subsisto, unico hoc animadverso, constitutionis nervosae descriptionem a Michellio propositam (13) in Batavos in universum non quadrare.

Ex his ultimis igitur patet, quam levis ponderis sint argumenta, quibus recentiorum medicorum illi, quorum auctoritate neuroses auctae vulgo habentur, hanc suam sententiam fulcire conati sunt: non magnum e contrario quod ad hoc morbos attinet, inter pristina et recentiora tempora adesse discrimen, omnia illa, quae in hac disquisitione dicta sunt, probare mihi videntur.

DISQUISITIO XXI.

DE MORBIS MULIERUM.

Non eo tantum, quod a centum vel centum quinquaginta imprimis annis magnam hi morbi mutationem subiisse dicti sunt, sed etiam eo, quod a matrum sanitate ad prolis constitutionem concludere licet, de mulierum morbis in specie hic quaedam proponere, non abs re duxi: accurata tamen horum morborum historia dari nequit, primo, quoniam illi auctores, qui de industriâ de mulierum morbis egere, v. g. J. Heurnius, et N. Fontanus, ita scripsere, ut si ullorum, horum certe librorum historiam indaganti infructuosa et ingrata sit lectio: secundo, quoniam, ut de diversae aetatis, vitae generis caet. sic nec de diversi sexus morbis, adeo accurate, ac hodie fieri solet, pertractare solebant antiquiores medici: cujus rei causarum non ultimo loco ponenda mi-

(13) *Verh. van het Utr. Genoots.* D. III. *St.* I. *bl.* 542.

mihi videtur mulierum pudicitia quaedam, *secretorum* instar suos morbos habentium, ulterius id probante obstetricatorum historia, dum ejusmodi quid de clysmatum (14) usu noverimus.

Supra jam Jasonem Pratensem de mulierum etiam intemperantiae effectibus querentem vidimus, et, quae seculo decimo sexto ineunte, ditioribus imprimis, fuerit diaeta, reputantibus, dubitandi nobis non est locus, quin frequens Pratensi fuerit querendi causa. At luxuriosus esse nequit integer populus, saltem non continue: et quam solita res, simo quam necessaria, inopiae sequela a latere effectuum temulentiae: hoc nempe sensu accipiendus videtur *aquae potus* in sequentibus *Magni Herbarii* verbis: (15) „ Mulieres quae cum frigore incedunt et multum aquae potant, „ difficulter et magno cum labore pariunt. Mulieres, quae multum aquae potavere, impotentes „ (*steriles?*) fiunt. Tum et admodum fluxos habent menses sive humiditatem, unde languor et „ vertigo illis accidunt, et unde admodum frigidae fiunt." Indefinitas illas causas *cum frigore incedere* et *multum aquae potare* ideo tantum sive proprio motu, sive vulgi opinione ductus, enumerasse mihi videtur illius libri auctor, ut partus difficiles, sterilitatem, nervorum debilitatem et haemorrhagias uteri (num etiam Leucorrhoeam?) frequenter sibi obvias explicaret.

De Leucorrhoea sequentia habet Forestus: (16) „ Numquam visae agrestes mulieres id pati, „ sed urbanae, et quae sedentariam vitam perpetuo degunt: saepe mulieres etiam ditissimae consi- „ lium a nobis petunt ob multa incommoda, quae inde sequuntur. Nam et coïtu laedunt virile „ pudendum et steriles fiunt. — Adde quod faciem dehonestat, corpus intumescit. caet." Ex his verbis non obscure, me judice, elucet, Forestum sive ob pudicitiam, sive aliam quamcumque ob causam, in universum non nisi in gravioribus casibus de hoc morbo consultum fuisse; ita ut nec priori citati periodi parti fidere possimus, quacum forte etiam pugnant allegata *Herbarii* verba.

In morborum casibus a Foresto proditis insoliti quid raro exspectandum est, cum insolita proferre Foresto propositum non fuerit, verum illud tantum, ut omnium fere morborum, huic praesertim regioni propriorum, lectori monstraret exemplum: si quis hodie observationem *De cephalalgia a fumis uteri* scriberet, paucis illum lectis et observatis hanc affectionem raram habere jure suspicari nobis liceret; ejusmodi tamen quid de Foresto, ibi illam observationem literis prodit, (17) statuendum non est.

Adeo familiariter in universum de hysteria loquitur, ac si de illa observationes proponere superfluum ducat. „ Obnoxiis mulierculis uteri suffocationi" inquit (18) „ odorata non conveniunt." Cujus rei alibi exemplum allegat, (19) nostra etiam aetate haud illepidum habendum, de femina nempe hysterica fere praefocata ab odore chirothecarum moscho perfumatarum matronae cujusdam, quae ad illam invisendam venerat.

Ad caetera nos non moretur a Foresto memoratorum omnigenarum affectionum hystericarum exemplorum copia: illorum permulta collectim posita ejus liber XVIII. *de morbis mulierum* exhibet.

Apud

(14) R. DE GRAAF. *Opp. p. m.* 503. » Nobis — quam saepissime contigit, ut aegrotantes — nulla ratione adduci » potuerint, ut posteriora analytica ad excipiendum clysterem coram ministro denudarent." Conf. etiam FORESTI. L. XXII. *obs.* 36. (15) *Cap.* L. (16) L. XXVIII. *obs.* 20. *schol* 13.
(17) L. IX. *obs.* 11. *schol* 7. (18) L. IX. *obs.* 44. (19) L. XXVIII. *obs.* 38. No. 2.

Apud Fienum, qui, ut supra vidimus, flatibus tot mala attribuebat, frequentem jure mentionem exspectare licet de morbo, cujus aeque ac Hypochondriasis accessus flatibus saepe provocantur vel iisdem stipantur: nec fallit exspectatio, quum de hystericis affectibus, uteri flatuum nomine, tamquam de morbo maxime vulgari multiplex illi mentio fiat, dum antea alicubi ita loquatur: (20) „ Multas audias conquerentes mulierculas, quod tertio aut quarto quolibet die „ excrementa excernant, alias quinto aut sexto, nonnullas immo octavo. Desides enim sunt plerumque et inertes, frigidae, voraces et obstructae, nec exigua bilis ob frigiditatem intestina „ ad expulsionem irritat. — Hinc mulieribus frequentius flatuosi affectus, quam viris." De multarum sui temporis mulierum sanitate non admodum magnifice sensisse Fienum, apparet."

Leucorrhoeam malum frequens dicit Wallaeus, (21) morbumque esse huic regioni non improprium, perspexisse videtur Beverovicius: quippe virgines numquam leucorrhoea laborare Montano dici ait; omnino tamen laborare aliquando ipse expertus sum, addit. (22) Quam levia tamen illa, cum sequentibus Sylvii verbis comparata: „ Nulla aetas" inquit (23) „ nisi prima „ immunis observatur ab ipso (*fluore albo*), nullus foeminarum status eosdem ab ipso liberat, „ postquam et virgines et uxores, et viduae et juvenculae, et consistentes et senescentes, et fertiles et steriles ipsum patiuntur saepe satis molestum:" idque non parum Belgicae, nam: „ Fluorem album si non producit, fovet saltem augetque manifeste acidorum abusus, tam frequens „ in foeminis Belgicis, unde non mirum, si forsan in Belgio, quam alibi, frequentior sit quoque „ Fluor ille albus." (24) — Quae ex ipsius de suffocatione hypochondriaca mentione colligi possint, supra pag. 90 jam vidimus.

Quam parum saepe sanitas cordi sit, quae voluptatis aut praejudicatae cujusdam opionis sacrificio emenda est, hujus rei luculentum duo ex antiquissimis nostris medicis, Forestus et Eugalenus nobis praebent exemplum: quis nempe, quae de industria chlorosin sibi contrahebant, illo tempore inventas fuisse puellas, crediderit? id tamen testatur illorum uterque, quamvis in diversis tractibus artem exercentium. „ Puellae Delphenses" ait Forestus (25) „ ut pallidam „ faciem habeant, comedunt triticum, quo adeo ventriculum offendunt et pica laborantes, potius „ invenustae fiunt." Eugalenus autem de puella narrat (26) „ quae multo crudo frumento ventriculum corruperat, quo colorem consequeretur albicantem, sicut stulta quadam persuasione, „ magno valetudinis incommodo, sibi invicem nunc virgines persuadent." Ejusmodi quid significasse videri etiam possit Stapelius (27) ubi de certo quodam cibo crassiore, virginibus expetito loquitur.

Inter haec et tot alia gravium eduliorum majoribus usitatorum testimonia, quod citata Fieni verba miremur, non est, tum nec, in mensium nimio fluxu primariam partem affectam ventriculum habuisse Barbetteum, qui addit „ ventriculum nisi purgaveris et liberaveris ab humore suo crasso, „ non curabis aegram." (28)

Aliam quandam morborum mulierum causam, vestitum nempe, jam pridem conquesti sunt medici: sic increpat Paawius, (29) Plinianis verbis utens, in pectora vere carinata puellarum, qui-

(20) *De flatibus caet. p.* 65. (21) *l. l p.* 204. (22) *Schat der ongesontheijt.* D. I. *p. m.* 163.
(23) *Opp. p. m.* 512. (24) *ibid. p.* 514. (25) L. XXXI. *obs.* 2. (26) *l. l.* p. 321.
(27) *Annot. in* THEOPHRASTUM. *p.* 362. (28) *Opp.* T. I. *p.* 150. (29) *De ossibus. p.* 6.

quibus costae constringuntur. Ad gravidas imprimis illud refert Eyssonius, dicens: (30) „ Quid „ usitatius in gravidis multis, quam strictior angustorum nimis vestimentorum gestatio? — Ex „ hodierno vestituum modo, non tantum longos fereque ad ipsa ilia demissos gestant thoracas, „ sed etiam tum circumquaque tum anterius (ultra umbilicum) si non aheneis aut ligneis saltem „ durioribus ac flecti nesciis firment ac complanent instrumentis. Hoc modo — foetibus suis — „ immedicabilem saepius conciliant deformitatem."

Perversa haec vestitus ratio suum forte contulit ad *foetum mortuum*, quem affectum Amsteldamum quotidie invadere, ejusque lectissimas foeminas miris premere calamitatibus et angustiis, dolebat Fontanus. (31) Dimidium seculum post de difficili hujus regionis mulierum partu itidem querebatur Blancardus, (32) de qua re, copiosum acidi, sacchari et dulciariorum usum accusabat. Seculo decimo sexto ineunte illius rei causam habitum fuisse copiosam aquae potationem, supra vidimus.

Etsi igitur in censum non ducerentur reliquae affectiones memoratae, quae huc usquae de Leucorrhoea, cachexiarum, et de Hysteria, neurosium exempli instar, e tempore, quod potibus calidis introductis antecessit, citavi, (additis nempe iis, quae praecedentis disquisitionis gratiâ hoc in argumento statuere nobis licet) adeo momentosa sunt, ut, frequentiores hodie esse illos morbos, probatu difficile foret: cum tamen, quae cum nostro tempore comparetur, sat longe remota sit prior seculi decimi octavi dimidia pars, ad illud tempus pertinentes annotationes quasdam dictis addere non abs re erit.

Quemadmodum apud antiquissimos nostros scriptores juxta creberrimam hysteriae mentionem de malo multarum feminarum vestitu querelae inveniuntur, sic, ut in curandâ hysteria omnino attenderetur ad vestes nimis arctas domicellarum praecipiebat etiam Boerhaave. (33) Hac de re apud van den Bosch (34) extat relatio, qua spasmis et doloribus nervosis, ventriculi praecipue, magis obnoxiae factae dicuntur mulieres Harlingenses, a quo tempore lanea vestimenta deponere, leviora induere, et, ut venustiores viderentur, vinctiori pectore esse incepissent, *dum longe calidioribus vestimentis uterentur majores, ejusdemque tamen aëris injurias paterentur:* hisce verbis si subjungimus id, quod contextus exigit, *et pectore minus vincto essent mulieres*, illaque praeterea sequentem in modum mente supplemus *simul autem dictis morbis parum laborarent* (ita enim supplenda illa sententia, nisi sensu carere habenda sit), ea, quod ad prius attinet, cum Paawii, Eyssonii et Boerhaavii testimoniis pugnare videntur: quod tamen minoris forte momenti: posterius vero falsum esse, e supra citatis Swalvii verbis constat.

Hujus regionis coelum hydropi maxime favens habebat Boerhaave; sic Europaeos facile in Leucophlegmatiam incidere ait, (35) imprimis autem Batavos: accedere tamen, et magnam quidem partem, malam diaetam opinabatur, quippe dicit: (36) „ Postquam nostrae puellae adeo avide „ hauserunt potum Theê et Caffê, fere omnes leucophlegmaticae evadunt." Si vere hoc dixit Boerhaavius, ab illo inde tempore perquam hercle emendata est Batavarum puellarum sanitas: theae

(30) *De ossibus infantis. p.* 91. (31) *Aphor. Hipp. Acc. tract. de extr. foetus mortui per uncum. p.* 97.
(32) *Collect. med. phys. of t enz. voor* 1681—1682. *bl.* 310. (33) *Prax. med.* T. I. *p.* 264.
(34) *l. l. p.* 483. (35) *Prax. med.* T. I. *p.* 38. (36) *ibid. p.* 74.

theae vero potationis more Bontekoeano, evanido feliciter tamdem facto, effectus ob oculos forte habuit Boerhaave.

Quo melius tamen intelligantur illa verba, sequentia inserviant. „ Novi" inquit Boerhaave (37) „ feminas pulcherrimas, sed mollissimas, quae vix integrâ septimanâ a mensibus liberae „ sunt. Hoc ab otio fit et mollitie, deinde ab igne, quem pedibus feminae Batavae perpetim supponunt, deterrimum secutae morem. Ita enim inferiora laxantur et eo sanguis adtrahitur, „ dum corpus quiescit, et perpetuo tamen cibis repletur opimis et theae coffeaeque potu. Nempe „ uti in Listeri experimentis Venae Sectiones plethoram augent, ita his feminis accidit. Non sa„ nantur, nisi ad labores redeant; si nolint, quadragesimo anno hydropicae pereunt: si autem „ conceperint utero, plerumque abortiunt." Egregia profecto descriptio: non parum tamen ab ante citatis verbis illam differre, patet: *omnes fere* puellae si Boerhaavii tempore a potuum calidorum abusu leucophlegmaticae evasissent, *omnes fere* mulieres quadragenarias hydropicas fuisse, exspectare jure licuisset, nec adeo tenuiter dicturus fuisset Boerhhaave: „ *Novi* feminas caet."

Leucophlegmatiam igitur ibi dictam chlorosin potius significare, statuere licet: num vero ab avido Theae et Coffeae potione profectam fuisse illam chlorosin, certo constat? nequaquam profecto: dissertationis enim inauguralis (quibus clariorum virorum sententia plerumque fundamento est) anno 1710 Ultrajecti defensae auctor Steenwyck „ inter varios cruciatus, quibus in „ hac miseriarum valle corpus aegrarum miserrime affligitur, chlorosin elegisse" se, de qua disputaret, ait: tantum ille abest, ut in potus calidos chlorosis causam conjiciat, ut non tantum ne verbum quidem in illorum vituperium dicat, verum etiam ad morbi curam illorum usum commendet, quâ re, inter universalem potus illos avide hauriendi puellarum morem, hercle non opus fuisset. Habemus igitur hic vel nullum vel moderatum illorum potuum usum cum chlorosi miserrime affligente conjunctum.

Quidquid sit, pejora Boerhaavii dictis de nostro tempore praedicari nequeunt: illud igitur, quod de abortu, fluore albo caet. auctis disputant de Haen, (38) van Geuns, (39) Michell, (40) alii, ad aetatem suae antecessam referre non potuere, verum ad multo magis remotam, ante introductos potus calidos nempe illam: attamen et hanc sententiam, me judice, historia non comprobat.

(37) *Praelect. in propr. Instit.* T. V. P. 2. *p.* 82.

(38) *Prael. in* BOERHAAVE. *Inst., pathol.* T. II. *p.* 32.

(39) *Staatk. Handh. bl.* 296.

(40) *Verh. van het Utr. Gen.* D. III. *st.* 1. *b.* 457.

DIS-

COROLLARIA ET CONCLUSIO.

Ex antiquissimis temporibus, quibus tamen verbis seculo decimo sexto anterius tempus haud significo, adeo paucae relationes (quamvis omnium maxime hic optabiles), quae sat multis recentioris aetatis, imprimis vero quotidianae experientiae opponantur, nobis praesto sunt, ut hodiernorum morborum cum pristinis comparatio difficilis inde evadat, eo magis, cum certum quemdam tantum regionis tractum, in quo nempe degebant auctores, plerumque spectent illae relationes, cujus rei tamen exceptiones dantur.

Praeter hoc vero tria alia rite observanda veniunt, quae sigillatim recensebo, ut eo melius percipiatur illa medicarum, diversumque aliud genus historicarum relationum penuria.

Examinandum mihi non proposueram, an plures hodie quam olim homines hoc vel illo morbo laborent, verum illud praesertim, utrum morborum indoles mutata sit, id est, utrum hodie quam olim magis vel alio modo aegrotet totus populus: superfluum fuerit quaerere, an fabricantium urbium, e. g. Leidae, Genevae incolae aliis morbis laborent, quam illi piscatoriorum oppidorum e. g. Sceveningae, Hullae caet. an mercatorum Amstelodamensium morbi ab agricolarum ericetum colentium illis diversi sint: superfluum illud fuerit, cum in promtu sit responsio: eadem quod ad diversas aetates, ut aliis, sic et huic regioni res: tempora, loca, rei publicae conversiones, modo piscatui, modo vero fabricis, modo mercaturae, vel et agriculturae fausta fuere, ita ut diversis aetatibus diversus admodum saepe fuerit hominum certam quandam artem factitantium numerus, unde non potuit non profluere magnum morborum discrimen: omnium maximi itaque hic momenti foret quaestio, an earundem classium hominum, an eandem artem factitantium hodierni morbi a pristinis discrepent.

Altera difficultas in eo consistit, quod per longius breviusve temporis spatium exsurgere possit certus quidam morbus propter causas, quarum vestigia dein non monstrat historia, vel quae ipso loco et tempore haud perspiciuntur, ita tamen, ut ad pristinum statum dein recidant omnia: ut exemplo hoc illustrem, referebat circa annum 1817 Doct. Nieuwenhuys (41), Amstelodami ultimis decem annis notabiliter aucta fuisse Rheumatismum et Arthritidem. Haec relatio, quamvis singularis, ideo tamen non rejicienda. Num autem inde sequitur, nostro tempore in universum accrescere rheumatismum? Minime gentium. Quot non existere possunt causae (praeter epidemicas nempe et ad primam difficultatem memoratas illas) quae in tanta urbe certum quemdam morbum per quoddam temporis spatium frequentiorem reddunt: cujusmodi in allato exemplo certus quidam for-

(41) *Proeve eener geneesk. plaatsbeschr. van Amsterdam.* D. II. *bl.* 139.

fortasse vestitus modus: — sic morborum imminutioni, a Bontekoeo per quoddam temporis spatium observatae, duriorique ac modestiori vitae generi, belli fructui, ab illo adscriptae quominus fidem habeamus, nil impedit. Quam saepe igitur nos inducere non potest hujus vel illius auctoris testimonium ad hunc vel illum morbum per longiorem annorum seriem frequentem vel rarum habendum, dum tamen illa frequentia vel raritas a fugacibus tantum o ta fuisset causis, adeoque in errorem nos inducere, Botanici non absimilem, qui plantae varietatem separatam speciem habet (†).

Idem evenire potest, quae tertia est difficultas, cum auctorum testimonia in tempora cadunt, singularibus epidemiis insignia, de hac autem re mentione simul non factâ: qua ratione endemium facile habemus, quod non nisi epidemicum fuit. Accedit epidemiarum ingens discrimen, quod qui novit, novit etiam, quam facile sit, epidemiarum historiarum copiam ordinatim recensere, tam difficile esse, ex iis tum nosologiae et therapiae, tum historiae satisfacientem elicere conclusionem.

Antiquiorum igitur medicorum relationem, quod ad nostrum argumentum attinet, momentum tum demum recte percipi posset, 1°. si completa nobis praesto esset politico — statistica, quam dicunt, hujus regionis historia: condi forte posset illa: at quae susceptio, quae novarum indagationum series: 2°. historia innumerarum illarum, parvi saepe momenti visarum, rerum, quibus in sanitatem vis est, ut vestitus, victus, temperaturae, ventorum, inundationum, paludum et lacuum exsiccatorum caet. cujusmodi historia non minoris quam prima momenti difficilioris forte indaginis foret: 3°. exacta praeteriti temporis epidemiarum cognitio: haec autem obtineri, me judice, omnino nequit.

Horum itaque omnium indagatio et prolixior est, quam quae in hoc opusculo locum inveniat, et difficilior, quam quae a me exspectetur: exceptis igitur nonnullis observationibus, quas sponte adducit orationis filum, lectori tradendum est mihi, ut, quae hac de re opusculo desint, ex proprio penu suppleat.

Ve-

(†) Ad hunc usque circiter locum typis expresso hoc meo opusculo, ecce mihi inopinato in lucem prodit viri doct. H. F. Thyssen ejusdem fere argumenti liber, (*Geschiedk. beschouwing der ziekten in de Nederlanden*) in nonnullis consentiens, in multis dissentiens. Cum praeterea documenta ad hanc rem facientia in antiquiorum scriptorum operibus sint, veluti *rari natantes in gurgite vasto*, non mirum profecto, alterutrius aciem effugisse hunc vel illum locum, qui alteri fuit observatus. Sic, ut exemplum afferam, pag. 157 exstat Barbettei locus, quem si animadvertissem, neglecturus hercle non fuissem, quippe qui, si ullus, probat, id quod non nisi suspicatus eram et tanquam probabile proposui, phthisium nempe seculo decimo septimo obviarum permultas scrophulosas fuisse. Causa autem, cur hoc loco de illo libro mentionem fecerim, haec potissimum est: supra pag. 79 dixi, centenas illas Colicas Pictonum, quas se observasse Boerhaavius aiebat, fructus fuisse mihi videri febris pseudo-biliosae anni 1727: hac tamen in re forte me errasse video, quippe me docet ad hoc usque tempus inedita, in doct. Thysseni opere pag. 296 obvia Boerhaavii epistola, ante aestatem jam anni 1727 multorum ad illum pervenisse Colicae Pictonum casuum notitiam. Attamen et illas colicas proprie endemias non fuisse satis patet, verum ab insolita quadam causa, quamvis forte non ita dicta epidemica, profectas, ita ut inconcussa mihi maneant, quae in disq. de Colica Pict. l. l. dixi, nisi magis etiam stabilita potius videri possint. Non illud tamen est, quod demonstrare hic volui, verum eorum, quae de difficultatibus varii generis monui, momentum novo mihimet exemplo illustrare; Boerhaavii enim testimonium plerisque seculi praeteriti aliis contrarium videtur: quantopere vero non allevatur haec difficultas ab una parte lecta illa Boerhaavii epistola, ab altera parte in mentem revocatis colicis aliis, de quibus l. l. loquitur Tronchin. Non semper tamen hac ratione historiam illustrare contingit.

Verum, si pristinorum morborum cum hodiernis comparationi adeo necessaria sit memoratarum rerum cognitio, quî igitur illa destitutus operi manum admovere ausus es? quoniam, quae ad medicinam pertinent, relationum cognitio, omnium princeps existit, quaeque singularem librum postulet, sat prolixa est illarum porscrutatio, et quoniam illae relationes, quamvis cum alius generis annotationibus tempore aequalibus comparatione lucidiores sane faciendae, per se tamen egregie inserviunt, ut morborum per certum quoddam temporis spatium indoles in universum et medio quasi termino nobis patescat.

Huc usque igitur illud molito, ut quae de singulis morborum speciebus, quod ad hoc argumentum attinet, nostra attentione maxime digna inveniuntur, lectoribus in conspectu ponerem, collectanea illa breviter nunc percurrere, generalibus quibusdam observationibus illustrare et hac ratione conclusionem elicere conari animus est.

Inflammatoriam morborum pristinis temporibus indolem, quod ad hanc saltem regionem attinet, nonnullis exaggeratam fuisse, e disquisitionibus de inflammationibus et febribus, me judice, patuit: hac autem in re non tantum morbi formam (de qua hoc tantum addam, seculo jam decimo septimo plures, eosque magni nominis medicos fuisse, qui *crises* hac in regione parvi vel et nihili faciebant, v. g. van der Mye, Lindenius, Fienus, Matthaeus, de Moor) quis respiciat, verum etiam, et maxime quidem, medendi rationem, cujus cum caput sit sanguinis missio, de illa, minoris momenti aliis praetermissis, nonnulla insuper in medium proferre liceat.

Huic medendi rationi recentioribus temporibus non tanta certe, quanta a seculi decimi sexti medio ad sequentis medium, laus contigit: quanta autem illius laudis pars non debetur vigenti tunc temporis medicinae systemati? Venae Sectio minus necessaria si ubivis aeque demonstrari potuisset, ac de Foresti febrium intermittentium curatione statuere, me judice, licet, qua non aliâ formâ induti apparuissent forte illius temporis morbi. Videtur tamen etiam praestantissimus Lommius, non obstantibus cunctis ab ipso propositis exceptionibus, antiphlogisticae methodo magis, quam hodie plerumque fieri solet, patrocinatum fuisse; nonne vero et ille Galeni auctoritatem aequo plus secutus est? vel, quod majus est, nonne cum Lommio ac illis, qui eandem recentioribus temporibus calcarunt viam, fecit veritas, et nonne, quae et hodie norma sit, digna est ipsius methodus? Rite explicitis ipsius verbis, additaque ab illo proposita cautione, maximam sane meretur attentionem, ubi dicit: (42) „ Nemo unquam sanguinis missionem sine evidenti periculo „ in acuta febre praeteriit. Si facta non sit forte epistaxis, aut copiosi sudores servant. Haec „ dicta sint de vigore vitae."

His tamen in regionibus eadem, ac in aliis, ratione agere, praeposterum habebat Lommius: „ Itali" inquit (43) „ et Hispani medici saepe triti sanguinem ad libras duas detrahunt. Quisquis „ hoc exemplum in nostris imitari corporibus per acutam febrem volet, adeo vires debilitaverit, „ ut post vel morbo succumbant, vel certe compluribus annis vix recuperare pristinum statum „ possint." Perquam etiam notatu digna est quaedam ex ipsius in Galenum annotationibus. Hic nempe dixerat: „ Cum synochus invasit, si corporis natura gracilis est, et spissa et copiosi „ sanguinis (ut Italorum fere et Hispanorum) confidenter sanguinem mitte. At si triginta annos

„ is

(42) *De cur. febr. cont. p. m. 5.* (43) *ibid. p.* 33.

„ is natus est, cui sanguis mittatur, sed laxus, mollisque sit, et pinguis et albus at gracilibus „ venis, huic aut sanguinem non mittas, aut parum detrahas." Super his verbis sequentia animadvertit Lommius: „ Hoc in Graecis et Romanis forte m llibus et albis: quanto majore curâ „ in nostratium sic affectis verendum est corporibus, quibus supra hujuscemodi habitum, coe„ lum quoque frigidum perpetuaeque propter voracitatem cruditates incommodant, quominus „ ubertim, minusque licenter exhauriri iis sanguis debeat."

Non plane absimilis hac de re Foresto fuit sententia, quippe dicit: (44) „ In Venae Sectione „ considerandus — corporis habitus, cum Germani atque nostri homines magis albi minus, „ quam Itali vel Galli, Venae Sectionem ferant; quamquam et hic *aliqua corpora* quoque inveni„ amus, quae multum sanguinis detractionem sustinent." Nihil omnino hisce verbis inest, quod non de nostris etiam temporibus dici possit. Quidquid sit, de immoderatis sanguinis missionibus non accusari potuisse Forestum, ex iis, quae de illo supra allegavimus, luculenter patet, quamvis de saepius justo adhibita illa medendi methodo absolvi non posse videatur. Eandam prorsus hanc rem, ubivis fere nempe sanguinem mittendi consuetudinem; cum largioris evacuationis metu conjunctam memorat Pantinus ante annum jam 1552 medicus Brugensis: „ Olim" inquit (45) „ me„ dici cum in mittendo sanguine timidiores et nobis tamen multo etiam fortiores: plerisque — vel „ aetatis vel uteri reverentiâ secare prorsus venam non audebant. Et si quando in aliis id face„ rent, multitudinem, quam nostri, minus pertimiscebant: libras totidem, quot nos vix uncias, „ plerumque detrahere nihil dubitantes."

De nonnullis aequalibus Dodonaeo, Heurnio, aliis, idem illud specialiter demonstrare, non adeo facile foret, quamvis, quod ad priorem attinet, probabile ejus rei specimen nobis praebeat disquisitio de morbis catarrhalibus: in universum tamen probabile id reddunt illorum, veterum auctoritate posita, praecepta, cum aliorum nempe clarorum ejusdem temporis medicorum moderatioribus regulis comparata, differentiaeque insuper inter corpora, quibus illi et corpora, quibus veteres medebantur, ratione habita. Quas volo, Lommii et Eugaleni sunt regulae, dum ex allatis Ronssei (pag. 58), Fieni (pag. 73) caet. locis, eandem his fuisse sententiam, colligere liceat. Quam parum etiam sanguinarium medici dictos omnes aetate antecedentis, Cornelii nempe Petri (46), praeceptum; quippe qui statueret, (in febre) timendam esse phlebotomiam, ni sanguinis sit abundantia: cum autem inter quatuor, juxta receptum tunc temporis, Petro etiam, systema, praecipuas febrium species, tres sint, quibus fortuitu tantum accedere habebatur illa abundantia, febres nempe a cholera, a phlegmate et a melancholia, itaquam insigni febrium numero Venae Sectionem omittere illi regula fuerit, apparet.

Quibus igitur fundamentis nititur illa de morbis inflammatoriis, quales olim obvii fuisse dicuntur, imminutis, quin plane evanidis factis, toties mota querela? ex ingenio, antiquiora scripta pervadente illud patere vulgo praedicant: de hoc autem num constat, saltem quod ad hanc regionem attinet? equidem dubito: medendi praecepta in illis proposita parum probant, quippe quae transscriberet plerumque praejudicatum veterum studium: — quod prae aliis, illorum morborum casus, qui regulari suo decursu veterum

(44) L. XII. *obs.* 14. *schol.* 8. (45) *Celsus curâ Pantini. p.* 248.

(46) *Annot. in Dioscoridem. Exper. et antid. contra varios morbos. p.* 68.

rum doctrinam confirmabant, literis mandarentur, e seculi erat genio, iique morbi ipsi illi erant, ad quos omnium plurimum valebat methodus antiphlogistica: hoc vero non impedit, quominus e magna ejusmodi casuum copiâ multum lucis capere potuisset tum historia medicinae in universum, tum praecipue nostrum hoc argumentum: num vero nobis praesto est illa? multum abest: pervolvamus auctores, qui seculo decimo sexto vixere, quid invenimus? non hercle tot pyrexiarum, in quibus, ut cum Wolfartio (*) loquar, sanguis amnis instar fluere debebat, casus, quot aliquantulum illam saevarum inflammationum frequentiam arguere videri possent, et non plures, quam quorum mentionem a medico, qui variarum observationum librum ederet, exspectare hodie etiam licuisset. Dictam igitur sententiam, si non plane falsa sit, antiquissimorum tamen nostrorum medicorum relationibus haud inniti, mihi persuasum est.

Huc usque allatis generalibus de Venae Sectione testimoniis, sequentia Gruiwardtii et Zacuti addere liceat, quae, quamvis illis recentiora, tempus tamen spectant, quo non vel vix introductus erat potuum calidorum usus.

Gruiwardt alicubi de se ipse testatur (47), per triginta sex annos, quibus in Zeelandia artem exercuerat, sanguinem, ubi res exigebat, mittere, semper se amasse, at non magnâ quantitate, cum inter Zelandos pauci sanguine abundent.

Obscurior sane est Zacuti sententia, quippe qui fidissimo sibi experimento de felici eventu constitisse, quem in hoc terrae tractu, in omni sexu, aetate et tempore Venae Sectio praestat, ubi ferventes febres concitet sirius ardens, affirmet: (48) non tamen addit *in omnium ordinum hominibus*, dum ut probet, bruma etiam vigente in Borealibus regionibus nonnumquam secandam esse venam, illarum afferat homines robustissimos, rubicundos, sanguineos, qui victu utebantur validissimo, carnibus vescebantur obesis ac valde nutrientibus, saturabantur deinde lacte et butyro, potu rursus utebantur nimis calefaciente et inflammante, at nutriente, vino scil. Hispano, novo praesertim, qui aquam vitae, cinnamoni et anisi frequenter ebibere solebant, et cerevisiae fortissimae, calidi aromatibus conditae pocula affatim ac certatim continuo exhauriebant: de hominibus alii diaetae obstrictis non loquitur. Si divitum itaque illius temporis morbos aliquantum illustrent haec Zacuti praecepta, quod ad universi populi morbos nil demonstrant. Exceptionum igitur etiam loco Zacuto fuisse videntur ii casus, in quibus ocyssime et subito sanguinem mittendum esse aït, qnando nempe nimia sanguinis effervescentis saburra oppletur et suffocatur corpus: ubi enim de Venae Sectione in corporibus frigidis, qualia septentrionalium hominum, loquitur, (contra Galenum et Avicennam) statuit, (49) Venae Sectionem haud interdicere corporis illam constitutionem, at vero cautum quem esse oportere, ne *aquosi* illius sanguinis tantum detrahat, quantum exigere videatur plenitudo, cum tempori locoque aliquid concedendum sit. Juxta hanc igitur regulam omnibus iis medendum esse voluit, quibus id, quod per regionis et aëris conditionem deërat, non resarciebat vitae genus, hoc est, majori populi parti. Zacutum caeterum, quod ad venam septentrionalibus hominibus secandam attinet, non tantum prudentiam, verum etiam parcimoniam inculcasse, ex aliis locis demonstrari posset. (50) Sufficiant autem haec de auctore, qui, si unus, id egit, ut veterum medendi rationem defenderet.

Ge-

(*) *Ueber den Genius der Krankheiten*. S. 281.

(47) *Medic. en chirurg. operatien. bl.* 72.

(48) *Opp.* T. I. *p.* 142.

(49) *Opp.* T. I. *p.* 142.

(50) *ibid.* T. II. *p.* 58 *et Prax. adm. p.* 77.

Generalibus hisce anim dversionibus omnia ea si jungantur, quae de sanguinis missione in morbis particularibus ex antiquioribus scriptoribus citavi, videmus primo, a seculi jam decimi sexti medio ad decimi septimi medium varios repertos fuisse medicos, qui non tantum ab aliis medicis vernaculis febribus oppositiam strenue antiphlogisticam methodum vituperabant, verum etiam in illarum cura primas partes agere non oportere methodum illam in universum sumtam existimabant: — secundo, specialiter demonstrari posse, celeberrimorum illius temporis medicorum multos ibi venam secasse, ubi opus non erat, vel saltem, id quod nostri argumenti ratione habita, eodem redit, ubi hodie factum non fuisset: — tertio, in eo tamen convenire omnes fere nostros cujuscumque aetatis claros medicos, permagnas sanguinis evacuationes non ferre hujus regionis incolas, moderatas autem pyrexiis oppugnandis sufficere: quorum omnium gratiâ e Venae Sectionis historiâ non patere, olim quam hodie vehementiores fuisse illos morbos, concludo.

De alia medendi methodo, primarum nempe viarum purgatione, an et quatenus hodie quam olim magis vel minus necessaria sit, statuere, longe difficilius; et multa speciatim hac de re dicendo, ad ineptias facile abiverim: illud tamen annotare liceat, non tantum ex admonitionibus, quas apud diversissimos scriptores invenire est, patere, omnium optime in universum olim cessisse mitiora id genus medicamenta, verum etiam illorum catharticorum, quorum a pristinis inde temporibus ad nostrum usque permansit usus, (plurima autem illa), haud majorem in universum tunc quam hodie propinatam fuisse dosin. (51)

Inter antiquiores hujus regionis medicos (quae majoris momenti generalis est animadversio) vix exstitit, qui primarum viarum purgationem inter praecipuas curandi rationes non habuerit, sique illorum praecepta et literis mandatos morborum casus perscrutemur, in diversissimis morbis et innumeris casibus illam illis persuasionem in actum ductam videmus. Ubivis igitur obvia conditio morbosa fuisse videtur primarum viarum impuritas, quae, ut in universum morborum genium haud acutum procreare debuit, ita in specie non potuit non varii generis affectiones gignere vel pro suo more immutare.

Inter has praecipue nostram attentionem merentur febres putridae: de hoc vocabulo supra pag. 21 sqq. fuse egi, ad indicandum praecipue, perquam frequentem, antiquioribus nostris scriptoribus factam, de febre putrida mentionem falso nobis habitum iri ipsius hujus febris illo tempore frequentiae argumentum: hoc tamen quaestionem non praepedit, an, olim quam hodie frequentiores fuisse illas febres, aliunde demonstrari possit.

Misso omni de putredinis in febribus natura litigio, vulgarique significatione, antiquioribus etiam temporibus haud exclusa, accepto vocabulo, putridae hac in regione febres ad tres, me judice, referendae sunt: prima est febris pseudo-biliosa: altera est posterius synochi communis stadium, quando nempe manifesta humorum dissolutione eique respondentibus noxiis evacuationibus stipatur status nervosus: tertia febris illa maligna, saepe contagiosa, quae petechias, similiaque symptomata comites habere solet et nosocomialis, carcerum caet. febris hodie saepe audit.

Quod ad primam speciem attinet, in disq. II vidimus, tantam tribus ultimis seculis illius fuisse diversitatem, ut illam per constitutiones stationarias regnare statuendum sit, ita ut, non obstante longo temporis spatio, per quod observatae non fuere hae febres, ab illis immunes nos praestare nostrum vivendi genus immerito haberetur, quippe quod a centum, et quod excurrit, an-

(51) Conf *Pantinus*. l. l. — *Forestus passim*. — *Heurnius de methodo medendi*. — *Instructie voor die Barbiers enz*. — *C. Battus*. *Rem. domest. ad calc. Wirtsungii Medicijn-boeck*.

annis, magnam partem in usu jam sit, dum nihilominus per illud tempus gravissimae illarum febrium epidemiae fuerint observatae, e. g. annis 1720, 1727, 1729, 1756 sqq. et tempore circa annum 1780. Si vero ab altera parte consideremus, harum febrium epidemiis per multa lustra immunia numquam fuisse post Forestum tempora, dummodo saltem de intervallo inter annum 1621 et 1667 judicare liceat, ut pag. 11 judicavi, illaque igitur cum nostra aetate comparemus, quam hisce febribus fere immunem esse certo scimus, maxime probabile fit, ultimum hoc constitutionis stationariae absentiae unice non esse adscribendum, hac vero in re causas agere stabiliores, aliis verbis, morborum indolem hac in re fuisse mutatam.

Quod ad alteram speciem attinet, sive de illa quaeratur, an olim magis quam hodie in posteriori stadio humorum dissolutionem caet. ostenderint, sive, utrum frequentiores an secus tunc temporis fuerint ejusmodi febres propter majorem vel minorem Synochorum, in universum sumtorum, frequentiam, has quaestiones solvendo imparem me esse, candide fateor.

De tertiae autem speciei febribus jure statuere mihi videor, illas hodie quam olim rariores esse: hac de re in disq. VII late egi: memorasse igitur sufficiat, demonstrari videri dictam sententiam multiplici, quam antiquiores fecere scriptores, de febribus pestilentialibus mentione, minorique variorum exanthematum, petechiarum imprimis, nostro tempore frequentiâ.

Omnibus igitur simul sumtis, et secunda specie per primam et tertiam analogice dijudicata, sequitur, pristinorum temporum febres magis quam hodiernas, putridum ostendisse characterem.

Hujus autem rei causa an haec erat, quod plures in majorum corporibus laterent putredinis causae, quod illa magis quam hodiernorum corpora febrium putridarum fomitem alerent, an vero haec, quod corpore magis valerent illi, quod acutiores essent illorum morbi, quodque hi per crisin symptomata producerent, quae observare hodie minus licet, quoniam materies peccans aut lysi evanescit, aut morbos chronicos secundarios format?

Mihi quidem prius arridet, cum illud demonstrare mihi videatur scorbuti historia: an cum illo congruat responsio ad alteram quaestionem, e neurosium nonnullorumque aliorum morborum chronicorum historia colligendum erit.

Quod igitur ad scorbutum attinet, in disq. XI vidimus, ex antiquissimis testimoniis, missis nempe omnibus e posteriori seculi decimi septimi dimidia parte relationibus, quippe illius vocabuli tunc temporis abusu suspectis, patere, hac in regione olim quam hodie vehementiorem fuisse scorbutum: cum autem scorbuti symptomata critica facile dixerit nullus, de tantopere convenientibus genuinarum febrium putridarum symptomatibus idem illud statuere, et haec magis *causae*, quam *morbi symptomata* habere licitum erit: de qua re, ut hodiernâ experientiâ, tum et febrium *quasi pestilentialium* historiâ cum scorbuti illâ collatâ probari videtur, ita ineunte seculo decimo septimo Bouwero persuasum erat, dicenti: (52) „ Febres minori „ gradu pestilentiales — hac in regione frequenter iisdem illis causis ortum debent, quae scorbutum generant: post aestatem fervidam si corpora frigescant sive ab aëre sive a cibo et „ potu, frequenter fit, ut febres oriantur, quae purpureas illas maculas ostendunt, idque in cor- „ poribus, quae gravi scorbuto laborant." (Conferatur porro disq. VII, quae, ni fallor, docet, ab

(52) *l. l. p.* 216.

ab ipso hoc, Bouweri nempe, tempore, imminutas fuisse petechias). Haec omnia petechiales febres caet. imprimis spectare concedo, deque febribus bilioso-putridis, quibus cum scorbuto symptomata vix sunt communia, nil probare videri: probant tamen, quamvis minus directe: primarum nempe viarum impuritatem febrium bilioso-putridarum non esse causam continentem, sane constat, absque priore vero posteriores non fiunt: patet autem ex harum febrium historia, illas pristinis etiam temporibus non solum determinatis tantum anni temporibus, verum etiam per constitutiones tantum stationarias regnasse: et tamen jugis majoribus erat affectio primarum viarum impuritas: per quasnam igitur crises, per quosnam morbos acutos eliminata fuit illa saburra illis anni temporibus, imo per illas annorum series, quibus dictae febres non regnabant? per ephemeras forte et synochos? verum, adeo frequentes tunc temporis fuisse illas febres, nil probat: ex iis e contrario, (et illud est, quod probare volui) quae de vehementiori illorum temporum scorbuto novimus, maxime probabile fit, majorum etiam corporibus motus febribes in universum non cievisse illam saburram, hanc vero sub affectionum chronicarum serie scorbutum formante, per lysin fuisse eliminatam. Non igitur major organismi reactio, quam dicunt, verum major fomes putridus vehementiorum febrium bilioso-putridarum pristinis temporibus fuit causa.

Cum his vero non pugnant ea, quae de alia symptomatum febrilium cohorte, de statu nempe nervoso, nos docere videtur historia: certe non multa sunt, quae hac de re annotata inveni, quaeque in disq. VIII congessi; attamen ex iis nulla alia, me judice, elicienda est conclusio, nisi quod haud magnum hac in re pristini temporis febribus cum hodiernis intercedat descrimen, id quod iis praesertim comprobatur, quae de nervorum morbis chronicis vidimus, quippe quorum indagatio, ut eandem de illis sententiam feramus, majori etiam jure sinere videatur.

Non multo magis sthenicum fuisse olim quam hodie pyrexiarum characterem, nec, quod cum illo arcte cohaeret, multo olim ad pyrexias procliviores fuisse corporum constitutiones, docent porro illa, quae de pleuritide et rheumatismo dixi: priorem enim olim quam hodie fuisse frequentiorem nil probat, illamque tunc etiam temporis cum catarrho persaepe fuisse conjunctam, multa arguere videntur: nec de posteriore olim vehementiore constat, et quod ad chronicam ejus formam attinet, hanc, quaeque huic cognita est, anomalam arthritidem endemium semper hisce regionibus fuisse malum, varenorum sive potius illorum, quibus recentiori tempore nomen illud impositum fuit, historia monere videtur.

Nullus tamen forte est morbus, quem pristinis temporibus maxime vulgarem fuisse, plura directa testimonia probant, quam catarrhus: hac de re significantius nil dici potest illis, quae a variis magni aestimatis seculi decimi sexti scriptoribus dicta sunt: attamen in disq. V de catarrho proprie ita dicto praecipue tantum egi, cum illorum morborum, qui symptomatibus catarrhalibus manifestis haud stipati, perspirationi tamen suppressae originem debent, perdifficilis sit comparatio, deque ulteriori igitur catarrhorum imperio e magis apertis morborum formis, tum et e tot antiquiorum medicorum, qui uberrimum omnigenorum morborum fontem catarrhum dixere, judicio practico, certiores nos fieri oportuerit.

Quas autem hic enumeravi, inflammatoria nempe, putrida, nervosa et catarrhalis morborum indoles, praecipua sunt argumenta, in quae inquirere mihi propositum fuerat, id quod pro viribus

bus peragere conatus sum: superest investigare, an de illis rebus conclusio cum iis conveniat, quae de aliis morbis, diversa etiam ratione consideratis, nos docet historia.

Maximi primo hic sunt momenti, quae in disq. XXI et alibi de mulierum morbis dicta fuere: sive enim cachexias contemplemur sive neuroses, ex illarum historia luculentissime patet, seculo decimo sexto et decimo septimo aeque ac nostro plerisque feminis morborum sibi propriorum agmen infestasse: ab alterius autem sexus conditione ad alterius conditionem concludere jure licet: praeterea vero propagationis ratione habita mulieres imprimis hic considerendae sunt, quippe qua in re majorem etiam attentionem mereri matrum quam patrum sanitatem, extra dubitationis aleam videatur positum, quamvis et absque hoc, momentosissimum esse illud, inficias iverit nullus. Nec conclusionem fallunt ea, quae apud antiquiores scriptores de infantum morbis annotata reperiuntur: haec enim, quamvis non multa, illorum tamen morborum pristinis temporibus et frequentiam et gravitatem satis superque probant, quorum magnam partem etiamsi perversae educationi probabiliter ortum debuerint, (†) nihil tamen impedit, quominus statuamus, olim etiam corpore debili permultos natos fuisse infantes, id quod insuper, ne de Pratensis verbis pag. 65 allatis dicam, diserte declarat in disq. sequenti citandum Lommii testimonium.

Secundo hic loco venit scorbuti, latiore praesertim illo sensu, qui pristinis temporibus perperam huic vocabilo tributus fuit, accepti, historia: vidimus enim per magnam seculi decimi septimi partem illo vocabulo intellectam fuisse mutabilis admodum formae aegritudinem, cacochymia, abdominis affectionibus, melancholia, aliisque neurosibus manifestam, adeoque latum illi aegritudini imperium tribuisse illius temporis auctores, ut causa non adsit, cur illo tempore quam hodie rariores statuamus modo memoratas morborum species: ex antiquiorum sane scriptorum plerisque similis conclusio elici nequit, at nec omnes illas morborum species communi illo nomine complexi sunt illi, dum ex illius scriptoris, qui ita egit, aliisque dein exemplo fuit, Eugaleni nempe, verbis, idem illud, de quo modo locutus sum, quod ad seculi decimi sexti finem attinet, sequitur: de vero scorbuto, id est, de septentrionalibus, paludosis praesertim, regionibus proprio cacochymiae, hypochondriorum affectione et primarum viarum impuritate stipatae, modo, luculentissime nobis demonstrant antiquissima monumenta, maxime olim vulgarem semper hic fuisse illum, et magis quidem quam nostrâ aetate, reputantibus nempe, hac in regione quon-

(†) Cum rarissime apud antiquiores nostros scriptores de Rachitide mentio fiat, ita ut mihi disquisitionem XII scribenti non nisi Foresti locus pag. 69 citatus notus esset, non possum quin alium hic locum, in quem jam primum incidi, lectori proponam: exstat apud LEMNIUM, *de Habitu et const. corporis p.* 25. „ Quod si cui" „ ita scribebat „ anno 1561 vel antea" „ vel ingravescente aetate, vel etiam adolescentibus ex morbo aut affectione aliqua frigidus siccusque habitus obtigerit, corpus iis macilentum fit, rugosum, gracile, — membraque invalida atque incurva. — Quo „ mihi — inhumaniter facere videntur ludimagistri quidam et *quotquot* erudiendis alendisque adolescentibus operam impendunt, qui — constituta non exiguae pecuniae pactione, insalubri tenuique victu convictores domi alunt, ac non solum „ sordide tractant, sed carne subraucida, piscibus olidis, pane mucido tenuiter pastos, ad subeundos studiorum labores minaciter instigant: quo efficitur, ut calor iis deflorescat, corporis species — aboleatur, nulla sit alacritas; nullus vigor, „ mentisque erectio — adeo ut non facile ad praeclara iis incalescat animus. Corpus plerumque circumferunt foeda scabie „ deformatum atque ob vitiosos humores pustulis undique exulceratum Quo fit, ut raro ad legitimam maturitatem ac „ justam magnitudinem, ad vires ingenuas, membrorum robur ac firmitatem, ad decentem partium compositionem ac „ staturam deveniant."

quondam in usu communi fuisse ita dictam nauticam victus rationem, quae olim, et summo cum jure, praecipua scorbuti causa habita fuit, dum ad hoc usque tempus pedetentim emendata multum fuerit haec diaetae pars.

Scorbutica autem illa corporis constitutio, quemadmodum ab una parte alios morbos immutabat, e. g. arthritidem, aut corpora ad morbos, quibus totius organismi debilitatio originem praebet, e. g. neuroses, proclivia reddebat, quod utrumque manifeste demonstrasse mihi videor, sic ab altera parte omnibus illis malis, quae directius illi connexa sunt, omnigenis nempe organorum ad digestionem facientium morbis, stipata incedebat: de his enim, quemadmodum diversis in locis, praecipue autem in disq. XIII vidimus, apud antiquiores auctores, quo nomine hic illos imprimis intelligo, qui ante introductos potus calidos scripsere, uber adeo mentio fit, ut hac in re nostro antecelluisse illud tempus, mihi quidem non pateat: hoc autem in toto, de quo agimus, argumento dijudicando, maximi sane est momenti.

Maxime profecto mirandum igitur fuisset, ni pristinis temporibus magnas partes egisset etiam scrophula: nec et frequentem et gravem illam fuisse negant ea, quae in disq. XII dicta sunt, collatis praecipue Sylvii effatis cum iis, quae a Pratensi et Foresto antea literis fuerant mandata: adeo quidem, ut, quamvis scrophulae multo quam aliorum morborum obscurior sit historia (cujus rei causas l. l. aperuisse mihi videor) pervulgatae tamen de aucta recentioribus temporibus scrophula opinionis demonstrationem desiderari autumem.

Quae igitur de affectione scorbutica et habitu scrophuloso, quorum prior cum putrido, posterior cum nervoso febrium charactere sat arcte cohaeret, nos docet pristinorum temporum historia, cum iis non pugnant, quae de dictis characteribus directe nobis monstrat illa.

Eadem res est cum charactere catarrhali: quando videmus, qua ratione febres maxime vulgares perspirationi suppressae tribuerit Forestus, qua ratione *cutis densitatem a frigidioris aëris circumfusione profectam* petechiarum, febres malignas inque contagiosas abeuntes indicantium, causam habuerit van der Mye, quam arcte apud Belgas inter se cohaerere pituitam superfluam et nervorum affectiones statuerit Sylvius, qua ratione aërem crassum vomicarum hac in regione magis quam alibi occurrentium causam dixerit Tulpius, quando, inquam, haec omnia, quibus non nisi major vel minor probabilitatis gradus inest, videmus, illa ex eo tantum explicari possunt, quod, qui in dictis omnibus priores partes agere, vel assiduus saltem iis comes adstare habetur, morbus, ipse scilicet catarrhus, in sua sibi simplici apertaque forma huic regioni semper fuerit familiarissimus, quod idem ex iis, quae variis locis allegavi, directe, nec refellendum, confici potest. Quae e catarrhali hac morborum indole ad pleuritides et rheumatismos redundare debuisse videntur, ea qualiscunque harum affectionum historia, me judice, non improbat.

Ex omnibus igitur hucusque disputatis sequentia patere videntur: non plures vel vehementiores olim quam hodie hac in regione regnavere purae indolis pyrexiae: — quamvis liberiore aëre frui, et graviore victu uti soliti fuerint majores, quam hodie plerumque fit, redundantia inde ad nonnullos commoda multorum delebat scorbutus, quem ipsa ciborum potuumque qualitas gignebat, et qui, unanimi antiquiorum medicorum censensu, systemati nervoso damna afferebat, iis haud multo minora, quae hodie major forte ingenii exercitatio et potus calidi procreant: —

si

si quid, neurosibus puris auctis, perdiderit Batava gens; tantundem certe, cachexiis imminutis, lucrata est: — in variis denique morbis chronicis producendis, non adeo, ac nonnulli voluere, prae majorum victu infesti fuere potus calidi.

Videamus jam, an hae conclusiones cum illis conveniant, quas de tantopere saepius elata majorum sanitate, illorumque victus ratione e scriptorum relationibus elicere poterimus.

DISQUISITIO XXI.

DE SANITATE.

In antiquissimorum hujus regionis incolarum sanitatis statu et habitu externo memorando non longus ero, cum quae hac de re a veteribus annotata inveniuntur, e soli aërisque indole non unice explicari posse manifeste pateat, plurimum vero temperamento assignandum fuisse, quo semel a natura imbutus fuerat magnus ille humani generis tribus, Germani; cujus particula erant Batavi, Frisii caet.: quibus accedit, quod horum populorum, Batavorum imprimis, maxime hercle adulteratus sanguis sit hodierna nostra gens. Verbo tamen annotare liceat, Germanos, quamvis bello tremendos; in universum tamen ardenti non fuisse ingenio. De illis jam memoratum invenitur, (53) id quod et hodie de nostro populo valet, miram nempe illis fuisse naturae diversitatem, ut iidem homines inertiam amarent et quietem odissent: remansit haec animi propensio, quamvis, laborum ratione mutata, de hodierna nostra gente sententiam illam rectius invertas et dicas, quietem illam amare, odisse inertiam. Magna porro, et habetia Germanorum corpora dicit Tacitus, addens." Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transi„ gunt; dediti somno ciboque." Inebriantes etiam potus immodice bibere amabant, quamvis aliis rationibus continentes. Illis igitur etiam optime potius nutritam quam irritabilem fuisse corporis constitutionem, apparet, convenientibusque huic morbis illos laborasse, concludere jure licet.

E recentiorum temporum auctoribus, qui de externo Belgarum habitu literis aliquid mandarunt, imprimis memorandus Guicciardinus, qui ante seculi decimi sexti medium sequentem in modum illos depingebat: (54) „ Incolae ut plurimum pulcri, bono et composito habitu, et tam „ viri quam mulieres artubus validis praediti: statura omnibus sat magna, nonnullis etiam ex„ celsior, imprimis in Hollandia, maxime autem in Frisia." Alibi de Provincia Hollandia ait: (55) „ Procera plerumque hic viris statura et corpus validum, tum et strenua facies." Major etiam quam

(53) *Tacitus. De moribus Germ. Cap.* XV. (54) *Belgium, dat is Nederlandt. bl.* 25. (55) *Ibid. bl.* 242.

quam Guicciardinum, seculo decimo sexto ineunte Aloysium Marlianum cepisse videtur tum totius harum regionum conditionis, tum incolarum habitus admiratio, testantibus inter alia hisce fere illius verbis: „Quidquid beata haec insula progignit, adeo pulcrum est, ut e Venere natum diceres. Proh Deûm! qui „ viri, quae feminae, qui equi caet." (56) Transalpinum hominem dicendi genus non parum demonstrat: quod vero talis ille esset, re vera inter causas immodicae istius laudis, me judice, annumerandum est; illi enim, hujus regionis conditionem depingenti, contrarium suae sibi patriae tristem et dilapsum statum continue ante oculos versatum fuisse, quo sane majorem etiam illi videri oportuit differentiam, e tota ipsius epistola clare patet; quod autem ad externum hominum habitum attinet, num Germanus quidem istius aetatis auctor talia scripturus fuisset? Belgarum magnam in universum staturam, et cutis colorem ab una parte nitidum, ab altera roseum nonne mirari oportuit et Marlianum et Guicciardinum, qui in natali solo, Italia nempe, id genus formositatem videre multo minus soliti erant? Hoc autem num hodie mutatum est? Audire me memini de extraneo quodam, Europae meridionalis probabiliter indigena, qui per nostros campos curru vectus, saepius hunc relinquebat, quo melius colonarum inspiceret faciem, cum purpureum illum oris colorem naturae, non artis, opus esse, ipse sibi persuadere non posset: simili modo ante hos quinquaginta fere annos narrabat Berkheyus, (57) extraneos, quibuscum in Hollandiae meridionalis tractibus obambulabat, colonarum malas vegetas, rotundas et sanitate rubicundas, firmosque earum artus demiratos se vidisse. Praecipua sane de pristini et recentioris temporis proportione hic foret quaestio: ad quam vero repondere difficillimum: majorem quidem olim, praesertim in urbibus, rationem fuisse multi perhibent, quo autem jure? minus certe desidem ab una parte vitam ante hos ducentos vel trecentos annos egisse videntur harum regionum incolae propter florentiorem piscatum et navigationem, propter minus literarum studium, majoremque ludorum sub dio frequentiam: ab altera vero parte in censum venire debet multo etiam tunc temporis major omnis generis fabricarum flos, quo angustis cancellis coacervati detinebantur multi: cujus rei noxam, ut quotidiana experientia docet, ita diserte memoraverunt praecedentis seculi initio Buyzen, (58) Harlemi ob multas fabricas frequentem esse chlorosin dicens, et Almeloveen, (59) qui Goudanarum feminarum eas, quae linum et cannabin praeparant, ut et fistularum tabacariarum figulos, pallida plerumque facie esse, aït: quin et longe antea textores *omnes plerosque* pallidos esse solere scribebat Forestus, (60) id quod a continua sessione esse arbitrabatur. Damni autem plus an hoc vivendi genus attulerit, quam commodi prius memoratum, an vero vice versâ, determinare difficilimum: apprime tamen res notanda, cum singulorum hominum, tum et populorum sanitatem unum omnium maxime moderetur illud, utrum multum corpus exerceant, liberoque aëre fruantur, an secus: quo magis autem corporis exercitatio deficiat, eo puriorem, ut sanitas conservetur, aërem esse oportere, nec vero vaporibus miasmatibusque refertum saepe, humidum plerumque, variantem semper, nemo negaverit: cujusmodi cum nostrum coelum sit, et magis patentia, minusque calefacta in universum fuerint majorum habitacula, horum vivendi ratio an hac in parte vitam sedentariam agentibus, exceptis etiam, de quibus dixi, fabricarum operariis, prae nostra salubrior fuerit, jure dubitare licet. Redeamus vero ad propositum.

Guic-

(56) *H. Grotii Parallelon caet.* D. III. *bl.* 590. (57) *l. l.* D. III. *bl.* 791.
(58) *Practyk. 2de. druk. bl.* 201. (59) *ibid. bl.* 408. (60) L. X. *obs.* 18.

Guicciardino et Marliano dicta in re annumerandus etiam Chrysostomus Neapolitanus, (61) de quo idem illud forte valet, quod de Marliano dixi, dum sublatius praeterea conscripta sit illius etiam epistola. Fuere certe et indigenae auctores, qui bonum populi habitum externum valde tunc laudarent: v. g. H. Junius (62) et H. Grotius: (63) nonne tamen panegyres quodammodo habenda sunt illorum scripta, posterioris imprimis, qui de illarum rerum multis nimis magnifice se juvenem scripsisse, dein ipse fassus est? (64) Verum de illis fusius infra.

Validius vegetiusque majorum quam hodiernorum corpus demonstrare etiam dictae sunt pictae illorum imagines, quae nobis insolitum illis vigorem fuisse, indicare multis visae sunt: fuere tamen etiam, qui aliter sentirent: (65) quidquid sit, hac in re judicium cohibere liceat, cum ad proprium uniuscujusque sensum illud pertineat, quamvis illi sententiae multum contulisse vestitum, barbam et obscuriorem veterum picturarum colorem, inficias iverit nullus. Animadvertendum tamen, Berkheyo (66) sedulo harum rerum investigatori Hollandorum utriusque sexus a seculo undecimo ad decimum sextum usque pictas imagines hominum staturas perquam graciles repraesentare fuisse visas; excepta rustica gente, quae torosa comparet; significat porro ille, (67) pictas seculo decimo sexto et septimo imagines indicare videri, Hollandis tunc temporis validiorem, quam antea fuisse corporis constitutionem: rem autem ita fuisse, quis crediderit? Vestitui tamen etiam tunc temporis usitato amplo et varia ratione singulari illam corpulentiae speciem magnam partem ipse ille tribuit: ab altera certe parte vestitui arcto et stringenti graciles antecedentium temporum imagines pro parte assignat; re autem vera graciliores has apparere non negat: nonne difficilius praeterea torosam quam teneram formam vestitu tegere? mira igitur in hisce diversitas, quaeque picturis illis multum auctoritatis detrahit.

„ Quidquid harum rerum sit" ita pergit Berkhey (68) „ constat tamen, proceram majorum „ staturam, virilemque et gravem corporis formam illo tempore extraneis maxime notabiles fuisse „ visas, quippe qui, nostrae gentis notas recensentes, de illa re, ut quae Belgis propria sit, „ specialem saepe mentionem faciant." In hujus autem rei testimonium ducit, praeter supra citatum Guicciardinum, Bentivoglium Cardinalem et H. Conestagium: idem autem illud, quod supra de aliis auctoribus Italis mihi dicendum visum fuit, illos nempe hac in re locupletissimos testes censeri non posse, etiam de his valet.

Opinatur denique Berkhey, tales, quales antea fuere, hodie fere esse homines rusticanos, urbium autem incolas corporis firmitate a majoribus non parum defecisse: exceptis tamen tabulis pictis, citatisque Italorum auctorum testimoniis, ad hanc rem argumenta non affert, excepto, quod ad feminas attinet, Catsii poetae versiculo, qui eo minoris momenti, cum quid per ibi laudatum corpus (*lijf*) intelligendum sit, non constet. Videamus jam de majorum sanitate ex aequalium medicorum sententia.

Quemadmodum, ut supra vidimus, Ronsseus, quamvis in cespitum fodinis robusta corpora ferre ipsi (69) dicatur Batavia, in universum tamen Hollandorum corporis constitutionem laxam quo-

(61) *Junii Batavia. cap.* XIII. (62) *ibid. cap.* XVI. (63) *Parallelon* L. III.
(64) Conf. *ibid.* D. I. *Voorr. bl.* LIII. (65) Conf. *Deluus in Vaderl. Mag.* D. III. *st.* 1 *bl.* 65.
(66) *l. l.* D. III. *bl.* 543. (67) *ibid. bl.* 652. (68) *ibid. bl.* 634. (69) *Epist. med. p. m.* 96.

quodammodo et fungosam nuncupat, sic de Hollandis simili modo loquitur Lemnius, natione Zelandus. „ Quibus" inquit (70) „ ex regionis conditione vel coeli qualitate humidus subest „ spiritus, modo is moderatus sit, facilem et expeditam formarum susceptionem reddit, sed fluxam „ ac cito perituram: neque enim facile figura formaque rei, ut nec cerae fluxae ac fluidae imprimi „ potest." Tales autem esse Hollandos aït, dum, quae ex iis causis in illorum ingenium et mores profluebant incommoda, justo acrius perstringat.

Eadem, quae Ronsseo, et Lemnio, Foresto de Batavorum corporis constitutione sententia fuisse videtur, id quod aliquantum jam ex ipsius pag. 104 citato de Venae Sectione monito patet, dum alibi pro temporis locique ratione multum differre externum nostrae gentis habitum testetur: „ Sunt spiritus nostri corporis" inquit (71) „ qualis est, qui nos ambit aër. — Ideo in aquilonari constitutione corpora nostra bene colorata sunt, mobilia sunt, clarissime vident: contra „ in austrina: quod in *nostra hac plaga* est intelligendum."

Praeter delineatam in universum sanitatis hac in regione conditionem, a Lemnio annotata etiam invenitur, quae diversis aetatibus hac in re intercedebat differentia: „ Quam multos" inquit (72) „ videre est seniculos corpore vegeto ob vitam moderatam peractam: quum juvenum „ *plerique* conspiciantur effoeti, elumbes, enervati, corpore arido, colore pallido atque exangui." Pejus hercle de nostrae aetatis juvenibus dici nequit, dum et hodie plurimi occurrant senes vegeti: juvenum illum languorem intemperantiae (non sane potuum calidorum nec a fabularum Milesiarum lectione profectae) attribuere videtur Lemnius.

Attamen et hoc paulo acerbius a Lemnio dictum videri posset, ni alius ejus aequalis, eumque longe antecellens medicus, praestantissimus nempe Lommius, non tantum sanitatem utpote intemperantia labefactatam praedicasset, verum etiam querelam, quam et hodie saepissime audire est, movisset, universam nempe multorum corporis constitutionem, vitae, ut ita dicam, stamina, ad morbos praeter modum proclives illos reddere: „ Hominum sanitatem" inquit (73) „ corrumpit „ luxus et varietas epularum ac poculorum. — Praeter haec permultos quoque videre est tempe„ rantes homines, simplicique contentos mensa, vitioso quodam corporis statu morbis haud „ parum multis naturaliter implicari. Scilicet non solus victus, aërque circumfusus taedia conci„ liant aegrotationum, sed et ipsa primitus insita natura saepe haud aeque stabilem nobis vale„ tudinem atque caeteris animalibus videtur contulisse." Quae praeterea de Belgarum sanitate Lommio fuerit sententia, vidimus, ubi de Venae Sectione fuit sermo. Non absimili modo de hujus gentis parte opinatus est Fienus: „ Corpora Hollandorum" inquit (74) „ sunt majora, „ non quia sunt calidiora, sed quia humidiora, et ideo corpora valde magna non sunt fortia, „ quia habent nervos nimis humidos:" dum praeterea, ut pag. 98 vidimus, de multarum sui temporis feminarum diaeta et sanitate minime magnifice loquatur.

De omnibus hucusque allatis apprime, me judice, animadvertendum, majorum externo habitui et sanitati multo magis favere extraneorum quam indigenarum illius temporis medicorum testimonia. His vero cum alias ob causas, tum ob proprium illis munus, ut ad sanitatem et morbos attenderent, plus fidei esse tribuendum, quam illis, qui in nostra gente dijudicanda ni-

(70) *l. l. p.* 15. (71) L. XII. *obs.* 12. (72) *l. l. p.* 26.
(73) *De cur. febr. cont. Dedic. p.* II. (74) *Semiotice. p.* 146.

nimium *forte* ad suam sibi respiciebant, quam ut rectum haberent judicium, apud me quidem nulla relicta est dubitatio: nitentem praeterea superficiem magis observabant hi, illi medullam.

Nil igitur, me judice, obstat, cur aliorum sriptorum enunciata aliquanto audacius jam non dijudicemus. Sic exaggeratum haberi non potest non id, quod ineunte seculo decimo septimo dixit Nonnus: (75) „ Hinc (*a cerevisiae potu*) septentrionales *omnes* boni sunt coloris, candidi, „ rubri." Quocum pugnant non tantum antiquiorum medicorum testimonia, verum etiam, aequalis fere, Beverovicii, qui, quamvis septentrionalium formam plurimum efferat, pallido tamen colore eos dicit, (76) Belgas imprimis, dum Hollandos, Zelandos, Frisios ob ipsam regionis conditionem morbis chronicis laborare addat. Multum tamen illis inesse nativi coloris contendit, dum Lindenio (77) contra frigidis humoribus scatere tunc temporis visi sint nostrates homines.

Quam varie caetero, quemadmodum de aliis rebus, sic etiam de populi sanitate senserint varii medici, inter alia ex eo videmus, quod harum regionum incolis sanguinem ab ipso ortu labe scorbutica infectum esse, unde maxima morborum copia, testatus sit Matthaeus (78): haud nova profecto haec sententia erat, et, quemadmodum ab aliis medicis, extraneis praesertim, sic ab illo ex Eugaleni operibus denuo eruta; satis superque tamen demonstrat, a longo jam inde ante Matthaeum tempore, quominus per excellentiam valida et sana in universum diceretur nostra gens, multum obstitisse.

Attamen circa hoc tempus, ineunte scilicet ultima seculi decimi septimi tertia parte, introduci primum coepisse dicuntur ambae magnae illae causae, quas populi labes fuisse toties praedicant: potuum nempe calidorum usus et morum Gallicorum imitatio, dum tamen harum rerum effectus tunc temporis jam observari potuisse, nemo non negaverit.

Nonne praeterea, ut supra jam dixi, ex ipsa, qua Bontekoeum Theae laudes celebrantem audiebant majores, aviditate colligere licet, illorum multos, urbium praesertim incolas, firma se sanitate carere, sensisse; id quod, cum huc usque memoratis, tum ipsius Bontekoei tertimonio comprobatur: quem, si minus ad Theae laudem stabiliendam, hac tamen in re testem habere licuerit, cum inter ipsos illos, de quibus agebat, suas opiniones, idque vernaculo sermone, divulgaret, quibus nisi multum veri infuisset, nisum tantum movissent, dum contra maxima auctoritate valuerit ille.

Sequentem scilicet in modum de hujus gentis sanitate loquebatur (79): „ Omnis hominum, „ hujus praesertim regionis, vita, quantum equidem perspicere potui, non bona est: saepe aegro- „ tant nostrates, nec diu vivunt." Quae ipsi de ordinum ditiorum feminis fuerit sententia, ex eo patet, quod illarum plerasque profligatas (*gedebaucheerd*) et corpore perditas dicat: quae quamvis iniquius absque dubio dicta fuerint, eorum tamen, quae centum fere annos ante Fienus et dein Sylvius, ubi de Leucorrhoea agebat, hac de re dixerant, meminisse oportet. Pejora tamen fere sunt, quae de inferiore loco natis habet Bontekoe, quippe quibus novos mores ad illud usque tempus receptos non fuisse, statuere liceat. „ Inter rusticos," inquit (80) „ operarios, aliosque „ e centenis aliquot reperiri, qui valida constitutione praediti forte fortuna per nonnullos annos „ va-

(75) *Diaetetica.* p. 586. (76) *Alle de wercken.* D. I. p. 85. (77) *Medulla medicinae.* p. 280.
(78) *Disp. de Scorbuto.* p. 9. (79) *Alle de wercken.* D. II. *bl.* 408. (80) *ibid. bl.* 406.

„ valetudine satis bona fruuntur, fateor: quemadmodum vero perraro id fit, singularemque con„ stitutionis vigorem et variarum corporis partium omnino raram insolitamque dispositionem id denotat, „ sic accedit certa quaedam incognita bona vivendi ratio, e. g. hic vel ille potus, aut exercitatio, aut „ abstinentia, aut alvi evacuatio, quae illis habitui est. Ejusmodi exempla rara. Hominum rus„ ticanorum, operariorum, tum et effrenatorum morbi et miseriae adeo magna sunt, adeo gravia, adeo „ diuturna, adeo frequentia, ut quicumque illa recte cognoscat, stupefiat ille et animo maxime consternetur." Piscatores tamen et oras maritimas habitantes excipit, quippe qui quotidie piscibus vescantur absque multo pane, non aegrotent, viribus valeant et diu vivant (81).

Circa ipsum hoc tempus de nostra gente haud magnifice sensisse Bouwerum vidimus, quippe qui moneat, ut recta vivendi ratione eo deducatur res, ut omnes illi morbi et miseriae, quorum causam scorbutum habet, avertantur, *hoc modo saniore creato populo.*

Occurrunt jam nobis multi praecedentis seculi scriptores, qui de nostrae gentis debilitate et valetudine queruntur, simul autem majores valde efferunt, veluti, ne alios memorem, de Haen, (82) Stocke, (83) Bicker, (84) Michell (85) et van Geuns, (86) quorum tamen in libris cum talis fere, qualis hodie conspicuus est, nostrae genti assignetur habitus, ut ulterius progrediamur, non opus est.

Istae vero querelae num adeo quidem justae? nonne ex omnibus huc usque disputatis vidimus, omnia fere, quae hodie querendi locum dant, dedisse illa ante haec duo jam vel trio secula: varios illorum temporum scriptores Batavorum sanitatem laudasse, negari nequit, nonne vero satis superque nobis patuit, quantum ipsi inter se et ab aliis discrepent? num vero ab altere parte plane deficiunt ejusmodi, quae seculum decimum octavum spectant, testimonia? pervolvamus Berkheyum de diversarum Provinciae Hollandiae partium incolis agentem: (87) exceptionibus etiam, quarum multas memorat, sedulo observatis, quantum non favet ipsius relatio Hollandiae meridionalis tractuum incolis propre Dordrechtum, Gorcumum, Heusdam ad Rotterodamum usque, Transmosanis, iisque, qui Sylvam-Ducis, Zelandiam et Gelriam versus habitant, Gooiam tractum colentibus, Frisiis ita dictis occidentalibus, Rhenolandiae incolis, iisque praesertim, qui in cespitum fodinis vitam degunt, e qua et hodie verum esse elucet, quod jam pridem dixerat Ronsseus, in cespitum fodinis robusta corpora alere nostram Bataviam: „ Nostratum (*Hollandorum*)" inquit „ minus noti sunt illi, quos cognosci proprie interest: rus nempe minusque „ degeneratas urbes habitantes: illic adhuc antiqua virtute et magnanima strenuitate homines in„ venire est." Et alibi: „ Ubivis fere labore justo, victu solido et sano et composita vivendi „ ratione firma et fortia nostratium ruricolarum fiunt corpora."

Magna porro cum laude de maritimas Hollandiae oras habitantibus loquitur: (89) qua in re consentientem plane habet Camperum, dicentem: (90) „ Id affirmare audemus, nostratium omnes, „ qui litora maris septentrionalis inhabitant, ac piscatura vivunt, optime valere, esse robustos, „ et

(81) *ibid. bl.* 424. (82) *Pracl. in* BOERH. *Inst. pathol.* T. II. p. 32.
(83) *De Kwijn. ziekten enz. bl.* 39. (84) *Vertoog enz.* (85) *l. l.* (86) *l. l.*
(87) *l. l. bl.* 716. 720. 724. 732. 750. 787. 809. 959. (88) *ibid. bl.* 750. (89) *ibid. bl.* 839.
(90) *Diss. de regim. infantum. Cap.* III.

„ et adultos", aeque ut infantes eburneis gaudere dentibus, quo majus signum sanitatis non novi-„ mus." Idemque illud de Groninganis mari accolis testatur van Doeveren. (91)

Aliorum etiam exstant testimonia: Vlardinganos mare navigantes sanissimos dicit van den Ham (92), et in universum ita depingit, ut antiquam, quam sibi fingunt, inter illos vigere sanitatem, appareat: Beverovicae incolarum sanitatem laudat Verveer (93): Arnemudae S. de Wind: antiqui Steenbergae agri Walkart: Ziriczeae Grasso: Almeloae agri Heppe (94). Quantis non laudibus efferuntur porro, idque a diversis medicis, illi, qui Volendamum, maris meridionalis insulas, Mackumum, Thielae et Bommelae agros, Zelandiae campos (95) et Drenthiam provinciam (96) habitant, dum „ si Groninganos comparet quis cum aliis magnarum urbium incolis, „ fatebitur sanos, robustos, prae reliquis illos esse, et eatenus Germanis a Tacito descriptis „ similiores" scripserit van Doeveren (97).

In minorum itaque urbium et ruris incolas, longe maximam saltem partem, quadrare non videntur de sanitate et vigore imminutis querelae: utrum in magnarum urbium incolas, incertum, cum si illorum multis minor revera, quam quae Batavis olim esse solebat, hodie sit statura, et corpulentia, minus illibato id forte sanguini tribuendum sit, (98) nec pejorem indubitanter id demonstret sanitatis conditionem. Utique tamen talem illam hodie esse, non improbabile, at sive fabricis, sive mercaturâ florentes urbes spectes, id imprimis animadvertendum, felicioribus temporibus vixisse majores et largiore vitae auxiliorum copia olim gavisos fuisse incolas, in universum sumtos: hodie autem multorum sanitatem labefactat paupertas et labefactabit, donec vitae copiis adaequata sit multitudo et haec decsrescens severiores attulerit mores. Quod si e duplici hoc fonte in urbibus plurimi hodie nascantur morbi, num antiqua *populi* sanitas periisse dicenda?

DISQUISITIO XXII.

DE CIBO ET POTU.

Etsi generalis omnium illarum rerum, quibus in sanitatem et morbos vis est, indagatio non tantum pro meo proposito prolixior mihi visa sit, verum etiam pro labore et lectoris attentione pa-

(91) *Serm. de sanitatis caet. p.* 28. (92) *Verh. der Corr. Soc.* D. IV. *bl.* 285.
(93) *Over de ziekten in de Beverwijk. bl.* 3.
(94) *Verh der Corr. Soc.* D. I. *Afd.* II. *bl.* 140. 156*. 192. 464. D. III. *bl.* 428.
(95) *VAN DEN BOSCH. l. l. bl.* 487. 497. (96) *VAN LIER. Posit. de A. A. L. et incolis Drenthiae. p.* 8.
(97) *l. l. p.* 42. (98) Conf. e. g. de Haganis 's Gravezandii sententia apud BERKHEY. *l. l.* 2076.

parum fructuosa, de illa tamen proavorum diaetae parte, quae cibo & potu continetur, cujus nempe satis accurata ad nos pervenit notitia, nonnullas addere animadversiones, non inutile duxi. Cum enim ex hucusque disputatis sequi videatur, in nonnullis quidem mutatum fuisse morborum genium, in genere tamen non pejorem factum, cumque ex omnibus diaetae partibus, nostro saltem in casu, primo forte loco ponendus sit victus, an cum illa conclusione hujus historia conveniat, examinare, operae sane pretium fuerit. De hac igitur argumenti parte paucis insuper agamus.

Seculo decimo quinto adulto florentissima Belgio erat fortuna: pace diuturna magnae comparabantur divitiae, et prae quovis alio imperio *regionis promissae* nomine digna Cominesio visa fuit haec regio. Majora etiam et sumtuosiora hic erant convivia, quam in quovis alio loco, cujus ad illum pervenerat notitia. Turpe tamen aulae exemplum, nec superiores tantum classes pervaserat effrenata luxuria, (†) verum et inferiores contagione afficiebat.

Post Philippi Burgundiaci mortem rerum summam potitus Carolus I Dux non libidinosus, at bellicosus erat princeps, indeque orta mala eo hisce regionibus experiundum fuit gradu, ut Comines, qui illas adeo florentes viderat, anno 1464 de imperio Burgundico sibi nullum, cujus infelicior esset conditio, notum esse, testari cogeretur.

Dein autem, Carolo Imperatore regnante, in integrum restituebantur res: et quemadmodum aliarum rerum, sic cibi et potus rediit luxuria, cujus rei luculentissima, Meermanno teste, argumenta praebet edictum de rebus civilibus, anno 1531 promulgatum, quippe quod praecepta contineat de diversoriis et popinis, de conviviis et nundinis, de diebus nuptiis et baptismate festis, idque „ ut immodicae helluationi et bacchationi, hisce in regionibus quotidie obviis mede- „ atur." (99)

Intemperantes igitur, occasione oblata, fuisse illius temporis Belgas, satis apparet: attamen ipsâ cum persuasione, numquam penitus expelli posse naturam, mensae tamen luxum non demonstrare videri posset citatum edictum, conviviorumque et publicorum coetuum petulantia excepta, privato tamen familiarum vivendi generi praefuisse sobrietas censeri posset: ulterius igitur in rem inquiramus.

„ Paulo ante haec tempora" scribebat anno circiter 1575 H. Junius (1) „ luxus mensarum „ citra exemplum maximus et nepotinis tantum non prodigisque sumptibus exercitus, et in immen- „ sum auctus, profligatis jam moribus *civilibus*, finem modumque transierat, quando pretiosa „ fames et macelli conturbatrix (ut Epigrammatarii verba ad eam rem aptius exprimendam addu- „ cam) terra marique exquisitas ciborum delitias et cupediarum indagines vestigabat, donec dites et „ generis etiam claritate celebres familiae, studio magnificentiae in epularum apparatu ad summa „ progressae, aut comesis devoratisque patrimoniis docoxere — posteris nihil praeter luctum et „ querelas relinquentes."

„ Sed ea vesania" ita prosequitur „ et profusio paulatim, Diis gratia, jam exolescit, post-

„ quam

(†) Inter alia balnea utrique sexui communia memorant auctores, imprimis cum inferioris conditionis feminis, aït van Wyn. Non diu tamen duravere illae licentiae, cum non longum post multum imminutus fuit balneorum mos, idque, ut videtur, proptar obortam contagiosam syphilidem.

(99) *Grotius. l. l.* T. II. *p.* 290 *et* 292. *Wagenaar. Vaderl. Hist.* D. IV. *bl.* 97. *Van Wyn. Avondstonden. bl.* 69.

(1) *l. l. Cap.* XVI.

„ quam magnitudo famae exitio esse coepit. — Caeterum fieri potest, ut cum temporum vicibus, „ etiam morum vertantur: sicut res mundanae omnes velut orbe jactatae volvuntur."

Et recte, hoc fieri posse, judicavit Junius: dum enim, quo scribebat, tempore mores multum emendassent, ut omnes omnino vires intenderentur, totius populi conatus, seculo decimo septimo ineunte, e Grotii testimonio (2) introduci denuo coeperunt epulationes: cum tamen nec hoc satis demonstret, propius etiam examinemus ipsius sententiam: hic et illic certe aequalium mores laudat, ubivis fere tamen e regione, tunc temporis pro parte tantum exculta, Hollandia nempe septentrionali, exempla sibi petit. Extorsit tamen illi veritas haec pulchra verba, libri duodecimi ultima: „ Itaque illi rustici vocantur et illiberales, qui convenienter naturae victitant, nec didice„ runt abligurire patrimonia. Hi vero hilares dicuntur et nitidi, qui coquunt et decoquunt. „ Adeo ubique verum est, *post virtutes* etiam amitti virtutum nomina. Vos autem tenaciores mo„ rum Batavorum, pati nolite, ut eripiantur patriae reliqua apud vos laudis verae vestigia: ut ar„ gumenta supersint, quibus credant exteri, tales aut esse Batavos, *aut fuisse;* nec vestram „ virtutem *nostra* corrumpant contagia, ut nostrum aliena: sed fugitivam frugalitatem exemplo po„ tius reducite, si forte fieri possit, ut eidem genti opum sit plurimum et minimum luxus." E quibus verbis satis manifestum est, quotidianum etiam multorum vitae genus luxuriosum et intemperans fuisse. Nec e Grotii voto (nonnihil sane ridiculo) cessisse visa est res Misocapni (3) saltem auctori, quippe qui anno 1644 haec scriberet: „ Temere seduci nos, rebellioneque conci„ tari, non incomperta res est. — In bello fortitudo nostra, in pace obsequium in Principem „ nobis aureum hoc quo fruimur saeculum dederunt. Hinc opum affluentia, exque opibus et pace „ nata voluptatum mollities. Clerus otio solutus, nobilitas deliciis. Jurisperitos avaritia, ple„ bem census profusco et curiositas transversos egere."

Praeteriens itaque tantum fuerat major seculo decimo sexto exeunte superiorum (ad quorum exemplum se componere solet vulgus) vivendi puritas; num vero adeo quidem generalis fuit illa, vel adeo manifesta, ac indicare velle videtur Junius? equidem dubito, quoniam Forestus, (ut alia taceam) qui in suo de aequalium moribus judicio Junio assentitur, belli etiam tempus non excipit, et probabile non est, illum stadio practico, cujus finis annus fuit 1597, exeunte sequentia scripsisse verba, quae eo majoris momenti sunt, quum, priorem saltem illorum partem, de superiorum tantum ordinum hominibus illa fuisse dicta, nil demonstret: „ Cibariorum intemperantia" inquit Forestus (4) „ crapula et immodicus veneris usus ita nostris temporibus invaluerunt, ut nemo „ sit fere, qui se virum credat, quem harum trium rerum non capiat desiderium. Quid dico „ capiat? imo capiuntur turpiter et petulanter omnes ab illis, quod summum delectationis genus „ (quo in terris nullum dulcius esse possit) existiment, si, veluti mancipia aut jumenta, Veneri „ ac Baccho sic inserviant, ut nullus in potando, aut reliquis jam dictis peragendis sit modus. „ Quod tamen ad palatum pertinet, non rura, non maria, non coelum sufficiunt: nec satis sunt, quae ipsa „ natura produxit, nisi haec omnia novo, ac adhuc nec orbi viso, condiendi ordine ita immu„ tentur, ut non sapor idem, non odor maneat ullus."

Nec rigidi censoris, vel aliorum populorum vivendi rationem penitus ignorantis haec sunt ver-

(2) *l. l. p.* 293. (3) *Sive de abusu Tobaci. p. m.* 201. (4) L. XXIX. *obs.* 4.

verba: sed animo sedato medici, qui in certi cujusdam morbi, Arthritidis nempe, causas inquirebat, quique praeterea e luxuriosissimis Europae regionibus nonnullas lustraverat.

Paulo accuratius jam cibos et potus examinemus, quorum ditioribus olim praecipuus fuit usus, quosque igitur inferiorum etiam ordinum hominibus optatissimos fuisse, statuere licet.

Quam exquisita seculo decimo sexto fuerit ars coquinaria, non tantum e modo citatis Foresti verbis in universum colligere licet, verum etiam specialiter e Lommiana illius temporis coenae descriptione, (5) qua ciborum appositorum partem penitus vitiosam appellat, dum, quidquid artis in apothecariis, quidquid in coquo industriae est, totum illud in epulis struendis semel effundi, in universum declaret. Gravissimum tamen, quod mihi innotuit, hujus rei argumentum praebent artis coquinariae praecepta, quae a C. Batto ad Wirtsungii *Libri Medicinae*, a se Belgice versi, calcem fuere posita.

Quod ad eduliorum delectum attinet, primas partes habebant e regno animali petita: luculenter jam illud patet ex ultimo loco citatis, tum et e sequentibus Viglii Byrdemaei Worcumensis praeceptis, (6) quae in plebis, praecipue autem Henrici à Steenwyck, Oldecloesterae Abbatis usum, se composuisse aït; sunt nempe illa haec: „Ver — est calidum, humidum et aëreum — quare hoc tempore „ conducit edisse gallinas juniores, turtures, ova cruda, lactucam cum aceto, lac caprinum, et „ duris capititibus pisces. Aestas — est calida, sicca, ignea — hoc tempore edendum, quidquid „ frigidius et humidius natura est, veluti caro vitulina cum aceto, cucurbitas (*Koewoerden*, an „ *cucumeres?*) et pullos juniores, hordeo et fructibus acidis saginatos. Autumnus — est frigi„ dus, siccus et terrestris: in usum vocentur, quae calida et humida sunt natura, veluti pulli „ juniores, caro agnina, et uva dulcia, vinum antiquum subtile et similia. Hyems est frigida, „ humida et aquea: quare apponantur calidiores et sicciores natura res, veluti pulli columbini, „ caro vervecina, carnes assae, et quidquid pingue, ficus et nuces, et vinum rubrum optimum „ et aromata."

Ejusmodi igitur erant praecepta diaetae, viro cuidam inter Frisiae optimates annumerando (ne de plebe dicam) conducere visae, quibuscum satis bene forte congruit annotatio eduliorum, seculo decimo sexto adulto Monasterii Egmondani coenobitis traditorum, quam docti. van Wyn (7) curae debemus: in qua nempe prorsus nulla de plantis esculentis facta est mentio: quam gravibus contra e regno animali petitis cibis tum usi sunt, ex eo patet, quod in illa annotatione praeter bubulam et vitulinam, gallinas, columbos, salmones, pisces siccatos et salsos, memorentur etiam saginatae ardeae, mergi, plataleae, coturnices et recentes phocae vitulinae.

An tunc etiam temporis variorum cetaceorum tum et castorum lardum, antea in coenis apponi solitum, (8) in usu fuerit, ignoro: praeter memoratas vero in usum tunc vocatas volucres agrestes, catarractas (*scholvers*) quoque, cygnos et grues enumerat Junius: (9) quibus accedebant anseres saginati, quorum imprimis exoptatissimum erat hepar: (10) nec parvi hanc diaetae partem fuisse momenti, ex eo sequi videtur, quod quotidianum apud Hollandos volucrum aquaticarum usum fuisse, de suo tempore dixerit Ronsseus, (11) illi cibo magnos illorum lienes *sive* scorbutum pro parte tribuens.

Fu-

(5) *Comm. de sanitate tuenda in* CELSUM. *p.* 42. *Coll. cum De cur. febr. cont. p.* 112.
(6) *Tractaet. van den Regieringe des Menschelicken Ghesontheyt. bl.* 28.
(7) *Huiszittend leven.* No. IV. *bl.* 357. (8) VAN WYN. *Avondstonden.* St. I. *bl.* 76.
(9) *l. l. Cap.* XV. (10) *Beverwijck Wercken, p. m.* 127. (11) *Opusc. Cap.* II. *p.* 18.

Fumo induratam porro et salsam carnem et lardum omnibus familiis, quae impensas ferre poterant, per bonam anni partem inter praecipua et maxime communia edulia fuisse, non est quod dicam: annotare tamen liceat, Batavorum nonnullis usui fuisse, porcos piscibus alere, quibus mire pinguescebant; at insalubris, teste Lemnio, (12) hujus ferculi erat esus, tum et in deliciis fuisse hepar porci ficibus saginati. (13)

Omnes dictos cibos (ne tamen de rancore nunc dicam, quem carnes salsae saepissime contrahere solent) egregio nutrimento fuisse illis, qui modice iis utebantur, aut saltem cum illorum usu faciliorum ciborum, herbarum praecipue, usum conjungebant, nemo facile negaverit, has vero aequâ proportione in usum fuisse vocatas, improbabile est.

Narrat quidem Guicciardinus, (14) Belgium abundare acetariis, oleribus, similibusque cum suis radicibus et foliis: animadvertendum tamen, illum addere, valde promotam fuisse illarum rerum culturam ab extraneis, qui, quo *Belgii meridionalis* urbes florebant, tempore, illas habitatum venerant: nec magnos etiam progressus in universum fecisse illam culturam, forte ex eo patet, quod illarum plantarum, ob quarum purgantium usum Belgas minus semitertiana laborare Spigelius aït, (conf. pag. 10) omnes fere huic solo et coelo magis propriae sint. Nonnus quidem *porro multa suo* tempore usitata olera et herbas memorat, (15) et Lessius de plurimis loquitur „ agricolis et mechanicis, qui ordinarie vescuntur pane, butyro, pulticula, legumine, herbis, „ caseo, carne rarius et tamen corpore sunt non solum sano, sed etiam firmo vitaeque diutur- „ nae:" (16) at, quominus nostro argumento plene inserviant haec testimonia, impedit, quod Lovanii vixerit et scripserit Lessius, Antverpiae autem Nonnus, dum nostrae hae diquisitiones illas Belgii partes praecipue spectent, quae omnium maxime *regionum depressarum* nomen merentur, quaeque ideo pecoris propagationi et saginationi, tum et ob situm maritimum piscatui magis quam agriculturae favent: in sequentibus de minorum ordinum diaeta animadversionibus probe illud attendendum.

Quae de Hollandorum septentrionalium cibis habet Grotius, (17) praeterquam de pane, secalino, omnia de cibis ex animali regno petitis dicta sunt: simplicem veterum Germanorum in morem carne illos vesci et lac superbibere aït, et porro: „ Multorum ibi vita lacte traducitur. Lautiores „ butyro utuntur aut caseo, aut pisciculis."

Non adeo tamen simplicem, (ne de simplicium rerum intemperantia nunc dicam), ac significare voluisse videtur Grotius, Hollandorum Septentrionalium, lautiorum imprimis, fuisse diaetam, luculentissime probant Foresti, qui non tantum Alcmariae natus erat, verum etiam per certum quoddam temporis spatium artem ibi exercuit, opera. Simplicior nihilominus illis quam Hollandis meridionalibus fuisse videtur vivendi ratio: quae id probant, Junii loca apponere liceat: „ Austra- „ liores" inquit (18) — „ quibus opimius benigniusque solum obtigit, per vicarias ministorum „ manus telluris opera tractat, ipsi otio vitam desidem transigunt, innata quasique haereditaria „ segnitie feriantur, pergraecantur caet." Eatenus igitur seculo decimo sexto adulto mediorum or-

(12) *Mirac. nat. p. m.* 313. (13) *Beverwyck ibid. p.* 116. (14) *l. l. bl.* 8. (15) *Diaetetica, passim.*
(16) *Hygiastica, p. m.* 41. (17) *l. l.* T. II. *p.* 45. (18) *l. l. Cap.* XVI.

ordinum hominum diligentiam et sobrietatem laudandi hic non erat locus, nec optimatum vitam reprehendere illis decuit, dum ab altera parte *vicariis* illis *ministris* contigerit, quod ubivis et semper fere vicariis ministris contingere solet, ad idoneum nempe victum necessariarum rerum inopia. De illis enim etiam dictum fuisse, statuere licitum erit, id quod in *Magno Herbario* (19) (Ultraj. 1538) legimus, *nil nisi aquam bibere et cibis frigidis non concoquendis vesci operarios.* In Hollandia septentrioli minus fuisse observata illa luxuriei et egestatis extrema, admodum probabile est: illius incolas australioribus illis opponit Junius dicens: „ Rusticae gentis mores diversi „ sunt: nam qui borealem tractum incolunt, austeriuscule et duriter vitam exigunt, parsimonia „ magis, quam inopia adacti: qui secaliceo pane cum caseo et lacte et expresso inde sero vice „ potus victitant: quos inter repertos aliquando audio, qui viridi propemodum et infracta se„ necta centesimum aetatis annum excesserant a vini zythique usu prorsus alieni. — Juventus inter „ eos aestate cimbricas et scythicas regiones, Hispaniamque nervigando intervisit, sub hyemem „ alecum capturae operam locat, brumam solam fovendo genio liberalius impendit."

Hoc Junii testimonio, quod cum supra citatis Grotii verbis satis congruit, constat quidem simplicem fuisse minorum ordinum in Hollandia septentrionali diaetam, at una bonam, nequaquam. Parcimonia illa, de qua Junius dicit, saepissime in avaritiam degenerabat: sic Forestus omnium optimus hic testis, narrat, (20) aliquando se, ut gravi urinae suppressioni mederetur, visitasse rusticum et piscatorem quemdam in Waterlandia, („ sordidnm hominum genus, suis bobus qui„ dem, non sibi medicum accersens) lacte et piscibus pro cibo uti solitum, pro potu lacte acido, „ ut ibi rustici solent." Multum etiam abfuit, ut hoc vitae genus probaverit Forestus, quippe de quodam rustico in agro, ut videtur, Alcmariano „ post malum vitae regimen et improbum „ victum" semitertiana correpto locutus, ita vivere plerumque solere rusticos, addit, (21) id quod de Hollandiae septentrionalis rusticis in universum ab illo ita fuisse dictum, probabile est.

Erat nempe improbus hic plebejorum victus nautica illa victus ratio, de qua supra saepius jam sermo fuit, et quam paucis illustrare fas sit.

Scilicet in Hollandorum et Frisiorum navibus secundum Wierum (22) victus erat pravus et putris, et secundum Echtium (23) diaeta erat grossa et corrupta, e carne villa, putida, lardo rancido, pane submucido caet.: nec acrius dicta fuisse videntur illa: nam Forestus etiam, de nauta Alcmariano quodam in itinere non longinquo, in Hispanianam nempe, scorbuto correpto loquens, (24) inter causas memorat laridi rancidi, carnis putidae et panis biscocti mucidi usum, dum aegritudinem illam in Batavorum, Westfrisiorum ac Frisiorum navibus grassari solere addat: (25) ad scorbutum illum formandum non parum etiam conferre cerevisiae crassae usum existimabat Forestus: et hercle, ut dicam, quod sentio, insigni illis nautis fuisset emolumento loco cerevisiae Theae potus et moderatus liquorum spirituosorum usus.

Peculiari tantum sub rerum conditione illâ diaetâ usos fuisse, ab una quidem parte fatendum est; nocuit tamen, et praestantissimae quidem populi parti: ab altera tamen parte eandem illam nauticam victus rationem, ut terrestris etiam scorbuti causam, diserte memorant Wierus, Echtius, Eugalenus, Ronsseus, Forestus caet. et quamvis terrâ degentibus meliorem quam navigantibus non

(19) *Cap.* IV. (20) L. XXV. *p.* 18. (21) L. V. *obs.* 18. (22) *Opp. p. m.* 884 *et* 887.
(23) *In* RONSSEI *opusc.* No. IV. *p.* 73. (24) L. XX. *obs.* 11. (25) *ibid. et obs.* 12.

non fuisse mensam, statuere velle, ridiculum foret, in vocabulis tamen illis *nautica vivendi ratio* plus ad literam veritatis inesse videtur, quam prima quidem fronte cui persuasum sit. Hac de re instar omnium sequentem Foresti locum (26) afferre liceat. Dixerat nempe Galenus, Elephantiasin Graecorum, (morbum Divi Lazari) in Germania et Mysia raro, apud Scythas, qui lacte vescuntur, vix unquam apparere, quoniam neque crassis cibus aluntur, neque ambiens aër in ipsorum regionibus calidus est. „ Sed nunc temporis" animadvertit Forestus „ videmus hic in nostra Germania in-„ feriori sive Gallia Belgica, et potissimum in nostra Hollandia sive Batavia, plurimos passim „ fieri leprosos, populatim per urbes rogantes: cum tamen ipse Galenus vix dixerat in Germania „ fieri, multoque minus dicere deberemus, eum morbum in Batavia nostra gigni posse, quae „ aërem crassum, frigidum saepiusque humidum ambientem habeat. — Igitur ob aliam quandam „ causam in Batavia nostra illam luem provenire dicendum et fortassis ob *crebrum* in hisce regi-„ onibus *salsarum carnium et plurimorum salsamentorum corruptorum ac piscium non bene sali*-„ *torum esum* plurimi simili elephantiae malo corripiutur: simili inquam: nam — — vix decimus „ quisque illorum vere leprosus esse deprehendetur." Hic locus (quocum omnino conferenda Lemnii verba pag. 109 citata), qui inferiorum ordinum diaetam egregie illustrat, eo magis notandus, cum morbus, quem illi victui tribuit Forestus, Lepra nempe, sive vera illa fuerit, sive spuria, tunc temporis valde frequens, nec seculo decimo septimo exeunte insolitus, (27) hodie inter rariores morbos veniat, unde id, quod supra de cachexiarum, vel si mavis, cocochymiarum imminutione dixi, egregie confirmatur.

Quamvis igitur probabile sit, vegetabilibus non minima copia vesci decimo sexto adulto jam seculo solitos fuisse Hollandos et Frisios, majori tamen quantitate cibis e regno animali petitis (inter quos praecipue etiam annumeranda lacticinia) usos fuisse illos, ex omnibus hucusque allatis sequi videtur: quae enim etiam, si secus fuisset, citatos auctores adegisset causa, ut carnibus illis fumo induratis et salsis caet. morbum endemium scorbutum tribuerent, nec potius herbis et oleribus aquosis, quum pro hac aetiologia non tantum Aëtii, quem Ronsseus diserte citat, verum et Hippocratis militaret auctoritas?

Idem illud, me judice, testatur victus institutio in Xenodochio Bredano, anno 1630, suadente, ut videtur, doctissimo van der Mye, qui plenum nobis reliquit illius apographum, (28) promulgata: quum enim diaetam illam, utpote aegrotantium, quodammodo exquisitam fuisse, statuere fas sit, qui tunc temporis homini plebejo convenire existimatus sit victus, ex illis praeceptis colligi poterit. Communiter non nisi panis, butyrum, caro ovilla et cerevisia dabantur; qui tamen ob nimiam debilitatem carnem edere non poterant, potiebantur illi, quidquid acceptum erat, et utile judicabat medicus, nominatim tamen non nisi ova, pruna, poma et uvae recensentur. Vinum propinabatur e medici judicio. De oleribus, quin et de leguminibus omnino nulla facta est mentio.

Cibis illis ex animali regno petitis ad *crassum et melancholicum* (ut Forestus, caet. dicebant) vic-

(26) T. IV. L. IV. *obs.* 7. *schol.* 361.

(27) BLANCARDI *Opp.* T, 1. *p.* 537. DAALMANS. *Hervormde Geneesk. p. m.* 178. *sq.*

(28) *De officio medici praesidii p.* 17.

victum constituendum accedebant cerealia: quamvis enim illi seculi decimi sexti auctores de pisis, fabis, ejusmodi aliis non multum loquantur, et nonnullorum tractuum incolas v. g. Hollandiae septentrionalis minus forte, quam vulgo nunc creditur, iis usi fuerint, in universum tamen inter usitatissimos tunc temporis cibos ea annumerare licet: praestantissimo sane nutrimento erant illis, qui modice iis uti consueverant, at tantum aberat, ut cibi temperantes dici possent majores, ut voraces etiam Hollandos et Frisios dixerint Ronsseus et Forestus; de cerealium illorum virtute nil sane id detrahit, in nostro tamen casu apprime ideo animadvertendum, quod de hoc vel illo cibo per se nobis sermo non est, verum de majorum diaeta, id est, de cibis, ratione habita copiae, qua assumebantur: verum ne repetam, quae ad calcem disquisitionis de phthisi pulmonali, quorsum lectorem relego, de hoc argumento jam dixi, annotasse sufficiat, ob copiosum cerealium etiam usum majorum victum crassum et melancholicum rectissime dixisse videri antiquiores auctores, dum non possim non una meam hic declarare sententiam, valde nutrientem ejusmodi victum non omnium optimum esse populo, qui (de aetatis, sexus, vivendi generis caet. animadversionibus nunc missis) dignus avorum proles, adeo parum cibi temperans est, ut ad illam *voracitatem* explicandam ad vapores arsenico — sulphureos e patrio solo assurgentes, id est, ad phantasma quoddam, olim confugerit doctissimus caeteroqui medicus J. J. van den Bosch. (29) (†)

Ne tamen in nudo judicio, aliter esse non potuisse, quin noxas olim attulerint Cerealia, vel et in Boerhaavii et Swieteni sententiis l. l. citatis substitisse videar, pauca quaedam aliorum testimonia hic addam. Fienus, quamvis alicubi scribat, (30) faborum et pisorum noxam, ideo, quod cum voluptate assumantur, minus apud nostrates percipi, in universum tamen omnia cerealia, imprimis autem faba, minus pisa, varii generis morborum causam habebat. (31) Beverovicius etiam familiarem leguminum illorum esum inter causas endemii scorbuti annumerabat, nec vulgi aciem fugisse videtur ejusmodi quid; ait enim idem auctor: (32) „ Nervis tum et iis, qui- „ bus dentes sunt molles et cariosi, nocere habentur pisa." Ob copiosiorem etiam horum ciborum usum, prae aliorum tractuum incolis scorbuto et hypochondriasi laborare Frisios, existimabant Beverovicius (33) et Blancardus. (34) Accedebat illis leguminibus pro cibo quotidiano farina non fermentata cocta: de hac ita sentiebat Beverovicius: (35) Plurimum utuntur nostrates pulte e „ flore farinae triticeae cum lacte dulci cocto: multum ille praebet nutrimenti, nec malus cibus „ est, dummodo non saepe in usum vocetur, aliter enim hepar obstruit. Ejusdem indolis ple- „ rique sunt pultes ex oryzae nempe, avenae, milii, hordei, aliorum, farina cum lacte coqui so- „ lita.

(29) *l. l. p.* 276.

(†) Et quae tibi de radicibus solani tuberosi sententia? — Et quae tibi, lector? hoc enim rogare mihi licet, qui in toto hoc opusculo hodiernarum rerum dijudicationem ipsi tibi fere reliqui. Praeterea si laudo, Geunsium, Camperum, alios, de illorum, qui magnâ copiâ illo cibo vescuntur, morbis dicentes forte mihi objicis: — si vero culpo, millenorum, tui ipsius forte, illo cibo quotidie uti solitorum, integram valetudinem et nitidam faciem. Quidquid *sit*, illorum me miseret, quibus, quod edant, nihil est nisi illae radices: verum de tantae paupertatis effectibus hoc in opusculo agere mihi propositum non fuit.

(30) *De flatibus p.* 36. (31) *ibid. p.* 34. (32) *Wercken.* D. I. *p. m.* 93.
(33) *Schat der ongesontheijt*, *p. m.* 82. (34) *Practyk. p. m.* 268.
(35) *Wercken.* D. I. *p. m.* 91.

„ lita. Multum hi nutriunt, saepe vero abdomen tumere faciunt, crassumque et spissum gignunt „ sanguinem." Facilis tamen concoctionis Mennesio (36) dicitur commune aliquod pulmentum seculo decimo octavo ineunte Amstelodamensibus usitatum, quod praeparabatur e farina secalinâ et aqua diu concoquendo: bajulis tamen et cursoribus forte, non cuivis hercle aptissimus erat ille victus, nec absimili modo de tritici non fermentati cocti usu sensit van Swieten. (37) Quemadmodum autem faborum et pisorum, sic et horum pulmentorum e farina cum aqua cocta tanto frequentior in Frisia quam in Hollandia fuit usus, ut, dum in hac regione, majoribus saltem urbibus, prorsus fere exoleverit illa cibandi ratio, in illa adhucdum multis usui sit, et quadraginta tantum abhinc annis scribere potuerit Engelberts, (38) sibi relatum fuisse, in Frisia et Groningana provincia rusticos cum ministris parcum panis, at ejus loco, pulmenti farinacei usum pacisci. Unde, quantopere ibi inveteratus sit ille mos, colligere licet.

Sufficiant vero haec, cum ex omnibus allatis antiquiorum scriptorum testimoniis satis patuerit, in farinae (ut reliqua nunc taceam) usu duplici modo olim peccasse inferiorum praesertim ordinum homines, primo, quod non fermentatâ majore copia illa uterentur, secundo, quod fermentatam (panem) submucidam saepe assumerent, quae cum caeteris supra memoratis cibis non optimam sane diaetam constituebant.

Videamus jam de potu. Jam a longo inde tempore inter praecipuos annumerandum fuit vinum. „ Vinum" inquit Junius (39) „ ad Hollandiam tanta est affluentia, ut fidem superet:" et assentitur Guicciardinus, (40) dicens: „ In Hollandia plus vini est et pro gentis copia plus fere „ bibitur, quam in ulla regione, quae vinum producit:" ita tamen, ut videtur, ut ab hoc potu in totum abstinuerit magna populi pars, eo licentius illi indulgente reliquâ.

„ Dies noctesque" ait Guicciardinus (41) „ tantum faciunt, ut missis aliis, corpori, ingenio „ et animo damnum afferant, quin et mortem accelerent." — Nec solos viros „ inquit" J. à Pratis (42) „ haec contagio (potandi aviditas et consuetudo) cepit. Mulieres quoque pertraxit in „ castra, unde adagium apud nostrates enatum: *Equa non segnius caballo vectorem tollit.*"

De sui temporis hominum ebrietate, deque quotidianis *inter omnes* vespertinis poculorum certaminibus querentis Galeni locum alicubi adducit Damiani: quo facto ita prosequitur: (43) „ Nos „ sobrietate ethnicos superare conveniebat, at nunc ebrietate praestamus eis, imo longis parasangis eos praecurrimus." Unde cujusvis ordinis homines potus intemperantia tunc temporis peccasse apparet, id quod innumera Foresti loca, passim obvia, confirmant. (44)

Nec indginus est, qui memoretur, sequens Pretensis locus: (45) „ Mos est Zelandis salitam alecculam atque etiam ex sua muria stillantem in epulationis principio, detracta pellicula, „ mandere: etenim *iis lenti plerumque, frigidi, ac tenaces succi in ventriculo aggregantur:* quos „ hoc antipharmaco sapienter deponunt, simul et dejectum ciborum gustum allevant, et siti, „ vinisque mire lenocinantur." Eundem Hollandis fuisse morem testatur Forestus, qui etiam ad-

(36) *Epist. ad* BOERH. *in* RUYSCHII. *Opp.* T. IV. *p.* 29. (37) *l. l.* T. II. *p.* 33.
(38) *Aloude Staat der Vereen. Nederl.* D. II. *bl.* 55. (39) *l. l. Cap.* XV. (40) *l. l. bl.* 6.
(41) *ibid. bl.* 29. (42) *De uteris p. m.* 198. (43) *Theoricae medicinae caet. p.* 89.
(44) Conf. L. IX. *obs.* 19. *obs.* 27. *schol.* 6. (45) *De cerebri morbis. p.* 74.

addit, oenopolas et caupones suis hospitibus statim in mensa apponere solitos fuisse haleculam salitam, ut liberalius cerevisiam et vinum, quod vendibile habebant, biberent.

Apud Grotium denique, ut alios taceam, etiamsi certae cujusdam populi partis mores laudet, eadem occurrit de ebrietae accusatio: quod cibi intemperantiamnon memoraverit, inde, me judice, ortum est, quod medice non scripserit. „ Unum" inquit (46) „ ebrietatis vitium nobis „ avitum est. — Tenuioribus etiam sua ebrietas est fruge madida. Inventum enim, quemadmodum „ et aqua inebriaret. — Hoc urbanae plebis, hoc ruris otium est. Nobiliores atque opulentiores „ eadem studia colunt, et, ne quis recuset impune, bibitur in Principis nomen. Ita miseri *alienas* „ *salutes*, morbos suos exhauriunt."

Ad ultimum sane hoc, infimorum nempe ordinum diaetam, quemadmodum apud victum, sic et hoc in argumento probe nobis est attendendum. *Alienas salutes* exhauriebat optimatum luxuria, ita ut plebi, rusticanae praesertim, nil saepe superesset, nisi aqua et serum lactis, quae communes multis potus fuisse, testantur *Herbarii* auctor, (47) Ronsseus, (48) Grotius, (49) alii.

Plurimis tamen tunc temporis usitatus potus erat cerevisia. Quod ad crassam, valde nutrientem profecto potum attinet, quae illi tribuit Forestus, damna mitto, unicum illud animadvertens, sat lautâ tantum re familiari homines illam in usum vocare potuisse: hi tamen etiam cerevisiam, communem plebejorum potum, multum bibebant, quae tamen, in quantum nutriebat, in censum venire vix poterat.

Qnamvis qualis seculo decimo sexto fuerit illa cerevisia, perfecte haud sciam, similem tamen fuisse illam, quae seculo decimo septimo tenuis dicebatur, cerevisiae, et Schoockianam igitur hujus descriptionem, anno 1661 datam in priorem illam etiam quadrare, statui posse mihi videtur, eo magis, cum, quemadmodum ille, sic Forestus illi cerevisiae nomen *Scharbier* imponat, illisque, quamvis hoc nomine non utatur, plane assentiatur Fienus. „ Schenckebier" inquit Schoockius (50) „ ordinario Scherbier, proprie Scherpbier, qnae promiscue in usum familiae funditur, „ est cerevisia cruda, frigida, ac *parum aut nihil* ab aqua distans." Hanc vero hujus cerevisiae tenuitatem, melancholicorum illius temporis ciborum imprimis ratione habita, virtutem potius fuisse, quam vitium, facile dicas, at pessimae illi qualitates, quamvis individuae comites erant ipsius cruditas, dum recens erat, quodque facile acesceret et vapida fieret.

Prioris varia exstant testimonia. „ Cerevisia" inquit Fienus (51) „ maxime non bona. „ Haec quidem, quo tenuior et crudior est, hoc nutrit minus, inflat vero et refrigerat valentius, „ parum ab aquae qualitate discrepans. Ejusmodi cum primis habentur Brabantiae, Hollandiae „ omniumque Belgarum, praecipue plebeiorum cervisiae. Turbidae enim plerumque sunt et male „ coctae, unde stranguria, calculosis noxa, brevis respiratio, pituita, flatus, tormina et co- „ licae." Haec autem recentis cerevisiae, cujus frequentissimus non poterat non esse usus, damna testantur etiam Schoockius, (52) Beverovicius (53) et Plempius. (54)

Quod

(46) *l. l.* D. II. *bl.* 50. (47) *Cap.* IV. *et* L. (48) *Epist. med. p. m.* 109.
(49) *l. l.* (50) *Liber de Cervisia. p.* 365. (51) *De flatibus. p.* 41.
(52) *l. l. p.* 354. (53) *Alle de wercken.* D. I. *p. m.* 141. (54) *Fund. med.* L. III. *Cap.* V.

Quod ad posterius, acescentem nempe et vapidam factam cerevisiam attinet, aliter fieri non potuisse, quin saepissime haec bibenda esset, facile nobis persuasum erit: diserte quoque id testatur Beintema, dicens: (55) „ Pleraeque cerevisiae adeo viles et vitiosae, ut simplici aquae „ non praestent. — Quod vapidae et acidae factae bibantur, id accuso." Has vero praecipue qualitates, magis etiam quam cruditatem, forte significavit Schoockius, ubi haec habet (56) „Pau„ peres, itemque opifices et rustici, qui per omnem fere vitam tenui eaque vitiosissima cerevisia „ utuntur, nullas fere noxas ab illa persentiscunt, cum divites aliique delicatiores mox incom„ modum multiplex in se deprehendant, si solummodo alterius notae cervisiam, quam bibere „ consueverunt, delibaverint."

Quamvis igitur ex illius potus usu nullas fere noxas perceperint multi, illum tamen vitiosissimum dicere coactus fuit Schoockius, cujus rei effectus e plebe probabiliter passi fuere corpore debiles et vitam sedentariam agentes.

Qua autem in re hodie usitato praestabat ejusmodi potus, cujus, ne de ingratissimo saepe sapore dicam, non abusus tantum, verum et usus varia gignebat mala? Nonne etiam, majores ob cerevisiae usum firmiore quam nos sanitate fruitos fuisse, perperam saepe statui, ex omnibus dictis apparet? ditiores certe validam saepe bibebant cerevisiam, qua tamen, spissâ, ob lautum victum ipsis opus non erat, cujusque, tanquam potus, usus non poterat non esse noxius. Si minus spissae erant illae cerevisiae, spiritu valebant, ejusmodi vero, qui a vini spiritu multum distabat, multasque molestias creabat: vino tamen non plane absimiles erant, illiusque igitur vices rependere poterant. Majori tamen hodie quam olim copia vinum bibitur: utrum autem ditioribus, quibus nutriente cerevisiarum spissarum facultate opus non erat, nocuerit illa diaetae mutatio, equidem valde dubito.

Quod ad potus spirituosos attinet, de quibus ut pauca saltem dicam, superest, non adeo, ac vulgo quidem creditur, majoribus insolitus fuit illorum usus: sic non tantum de aqua vitae *bibita* loquitur Forestus, (57) verum etiam damna, ventriculo saepius inde exorta memorat. Quantus autem seculo decimo sexto exeunte et dein etiam, illorum potuum usus fuerit, accurate determinare, difficillimum mihi videtur, cum argumentum a destillatione, quam dicunt, petitum pro parte eo infirmari mihi videatur, quod mercium loco veniant spiritus ardentes, dum ab altera parte majori olim copia foris hi afferrentur, praecipue Gallici. Quidquid sit, anno jam 1618, vel et antea „ Nihil hodie spiritu vini usitatius" scribebat Follinus, (58) med. Sylvaeduc., comprobante id de suo tempore, vulgi imprimis ratione habita, Diemerbroeckio: (59) nec impune: „ Sunt vinum ardens" aiebat enim Lindenius (60) „ et tabacum, in quibus se tam multi *cor*„ *rumpunt* hodie:" dum eodem fere tempore haec scriberet Hemsterhusius: (61) „ Quotus „ quisque, proh dolor! virorum mulierumque se hodie vino ardenti corrumpit summo mane! ubi „ ne quidem aquam veteres bibebant, antequam cibum sumsissent." (62) Nec mulieribus versus seculi decimi septimi finem missum factum fuisse vini ardentis usum, supra pag. 75 vidimus.

Ob-

(55) *Tabacologia. ofte enz. bl.* 166. (56) *l. l. p.* 361. (57) L. XIV. *obs.* 19. *schol.* 5.
(58) *Amuletum Anton. p.* 16. (59) *Opp.* T. II. *p.* 95. (60) *Selecta med. p.* 625.
(61) *l. l. p.* 25. (62) Conf. SCHOOCKIUS. *De Cervisia. p.* 344.

Obsolevit tamen feliciter sequioris sexus hac in re intemperantia: cum viris autem contraria videtur esse res, ita ut magis quidem quam olim, hodie forte vitetur effrenata incontinentia, multo tamen magis universalis factus sit potuum spirituosorum usus, qui, quamvis probatissimum contra scorbutum remedium, suaque adeo laude non plane defraudandus, plus una causa tamen apertius nocet, quam ut, valde restringatur, vehementer non sit optandum. Hac vero parte missa, hodierna, quae cibo et potu continetur, nostratium diaeta, pristinae praestare mihi videtur, dum quae de hac nos docet historia, de illa quotidiana experientia, in ea quae de pristinorum temporum morbis, cum hodiernis comparatis, ex antiquiorum scriptorum monumentis eruimus, nisi quid me fallit, satis bene quadrent.

FINIS.